

1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUÆRIS PENINSULAM AMŒNAM
CIRCUMSPICE

51 — 80

h

DE VITA ET CARMINIBUS MARNERI POETAE MEDII AEVI.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
LIPSIENSI
RITE CAPESSENDOS
SCRIPSIT

BERNHARDUS SCHNEIDER
MÜHLBERGENSIS SAXO-BORUSSUS.

MÜHLBERGI
TYPIS EXPRESSIT HENRICUS SCHNEIDER.
MENS. DEC. MDCCCLXXIII.

Marnero poetae quae attribuuntur carmina pleraque extant in codice Parisiensi poetas eroticos medii aevi complexo, quem Manessii olim fuisse Bodmerus argumentis usus haud ita certis opinabatur.

Praeterea alii libri in bibliothecis nonnullarum Germaniae urbium servati multas strophas exhibent rythmis a Marnero inventis compositas exquirendumque erit quaenam ex hac farragine poetae nostro vindicandae sint.

Colmarensis Basileae repertus nunc a bibliotheca Monacensi emtus inde a pagina 433 a. usque ad paginam 488 a circiter ducentas strophas continet ad normas diversorum Marneri rythmorum perfectas (cf. infra §. 5).

Ex Heidelbergensibus codex 350 quae habet carmina Marneri longum rythmum qui dicitur imitata in paginis 54 et 58 poetae nomen suprascriptum non est nec tribus metri decimi et quarti e Parisiensi iam cognitis, quae in eodem manus altera addidit post preces pedestri sermone conscriptas. Sed huic libro appendix adiuncta est et haec inde a numero 7. usque ad numerum 13 sub titulo: Hic incipit Marnerus in longo suo rythmo („hier hebet sich an d' Marener in siner langen weis") septem strophas suppeditat ab Hagenio in paginis 246 a—248 voluminis tertii editas. Alias inscriptiones, per quas rythmum solum, non verba Marnero arrogant, poemata gerunt quae Heidelbergenses 392 et 680 non continuo ordine, sed per totum opus dispersa praestant.

Lipsienses praeter unum in sermonem provinciae Rhenanae inferioris transcriptum duo conferunt ad metri duodecimi leges scripta et nonnulla de Sibyllae vaticinationibus.

E Monacensibus unus quem Hagenius numero aut additamento non ornat, carmen Latinum de episcopo Carinthiae memoriae tradit; alter cod. germ. 351. in paginis 207a, 208b, 211a terna carmina habet, septem in pagina 260b, quinquc in pagina 274b, haec omnia longi rythmi, sicut eundem pleraque ostendunt, quae codex Wiltensis complectitur; sed in hoc praeterea in p. 7b et 10b strophae inveniuntur primo codicis Parisiensis metro compositae.

Porro in libro Würceburgensi p. 63 stropha una extat tresque aliae in p. 225 inter quosdam „versus medicinales" incerti auctoris et carmen Leopoldi Hornburgensis ab Hagenio in additamentis editionis Lipsiensis editum.

Exhibet denique tria carmina rythmi decimi tertii sub Kelini nomine codex Jenensis, quae Parisinus eidem Marnero attribuit, rythmique tertii primam stropham e Bernensibus liber tertius.

Colmarensem, Heidelbergenses 392 et 680, Monacensem alterum, Wiltensem excussit diligentissime Carolus Bartsch multaque ex eis typis exprimenda curavit anno millesimo octingentesimo sexagesimo altero;[1]) idem nonnulla affert de vita poetae in prolegomenis anthologiae suae poetarum saeculorum XII. XIII. XIV. praemissis.

Caetera carmina iam prius collegit et edidit Hagenius in magna sua editione poetarum eroticorum[2]) vol. II. p. 236—258 et vol. III. p. 332. 451. Idem scripsit de vita poetae et carminibus vol. IV. p. 524—536.

Itaque cum codex Parisiensis poemata offerat haud dubie a Marnero ipso profecta eaque de causa nobis gravissima, pro fundamento esse debet etiam nunc praecipuo illa editio Hageniana.

Haud ita deceret tironem, si detrahere vellet auctoritatem et honorem debitum illi viro, qui haud dubie optime meritus est de philologiae Germanicae initiis. Attamen nec textus carminum qualem lecturis Hagenius praestat etiam nunc sufficere nobis potest, cum inde ex hoc tempore assidue

[1]) Karl Bartsch, Die Meisterlieder der Kolmarer Handschrift; Biblioth. des Stuttg. Litt. Ver. 1862.

[2]) v. d. Hagen, Minnesinger. Leipzig. 1838.

viri docti non minore sagacitate quam industria in eo elaboraverint, ut legibus accuratius intellectis metricis et grammaticis linguae Germanicae medii aevi distinguere possent, quae a poetis ipsis scripta essent, quae per scribarum neglegentiam in textum illapsa codicum manuscriptorum; nec possumus in eis acquiescere quae de vita et operibus poetarum ille conscripsit. Opus in se recepit nimis magnum et laboriosum quam quod in omnibus rebus praestare posset subtilitatem et curam anxiam et minutam a nobis nunc requisitam. Elegerunt sibi deinde singulos ex his poetis eroticis viri doctissimi, ut denuo recenserent carmina, disse- rerent de arte metrica et genere dicendi, agerent de rebus ab eis gestis; sed qui est horum poetarum ingens numerus et mira carminum servatorum multitudo, etiam nunc multi ex his sunt, in quos accuratius inquirere supervacaneum non est, et cum ad carmina tractanda accederem quae Marnero poetae attribuuntur, ea quoque de causa id feci, quod paene integra materies est et magno usui fore novicio philologiae Germanicae sectatori putavi, argumentum sibi promere haud ita tritum.

Dissertationis meae rationem ita institui, ut primum in id inquirerem, quae de vita et rebus gestis poetae dici possent; tum ad carmina perscrutanda transibo primoque loco de eis poematis agam, quae haud dubie Marnero attribuenda sunt; exponam leges metricas et rythmicas quas poeta secutus est et quaeram, utrum ubique exercuerit artem metricam puram et accuratam an nonnullis locis maiore licentia usus sit. Addam nonnulla de genere dicendi ab eo adhibito annotationesque criticas et exegeticas. Ita cum iam appareat, quae poetae sit indoles atque ingenium, ars metrica, genus dicendi, caetera carmina tractabo et quae ex his poetae esse mihi videantur, demonstrare conabor.

§. 1.
De vita Marneri.

De vita poetae admodum pauca tradita sunt atque ne haec quidem certa. Vix nomen recte scimus; quadam cum verisimilitudinis specie patriam, pro certo affirmare possumus aetatem, per quam floruerit tempusque quo e vita decesserit; sed haec paene omnia sunt, quae explorari possunt. Pro fontibus nobis sunt et poemata ipsa huius poetae et loci scriptorum aequalium atque proximae aetatis, in quibus Marneri mentio fit, imprimis libri poetarum qui dicuntur magistralium [1], apud quos valde gloria et auctoritate florebat.

Primum, quod ad nomen huius viri attinet Marneri nomen inter gentes et familias nobiles Germaniae non reperiri Hagenius asseverat, et quamquam illi non nimium fidei attribuendum esse mox videbimus, in hac tamen re facilius cum illo facere possumus, quod insignis est peritiâ tabularum et litterarum ad veteres nobilium gentes pertinentium re vera mirâ. Utique id constat, usque ad hoc temporis punctum nihil allatum esse, quod Marneri nomen unquam familiae nobili fuisse demonstret. Quod semper „der Marner" scriptum extat, ita ut nomini semper articuli forma praeponatur, id sane mirum est, per se autem docere non potest, hoc non gentilicium fuisse poetae. Saepius quidem poetae nobili loco orti, si omittitur praenomen, ita appellantur, ut verba adhibeantur „der von" (der von Ouwe, der von Rugge, der von Rotenburc); haud raro tamen praepositio omittitur praeposito articulo: „der Ouwaere (Gottfr. Trist. 4619, 4634, 4652), der kunsterîche Ouwaere (Rudolf Alexandr. H. H. IV. p. 866. a.), der edel Stoufaere (Rud. Wilh. H. 868. b.), den wîsen Turheimaere (id. H. IV. p. 869. a.), der Sonnenburgaere (Herm. Dam. III. 4.); in ipsis Marneri carminibus „der Venis, der Veldeggaere."

---

[1]) Non dubitavi hoc usurpare verbum ad poetas significandos, quos „Meistersänger" nostro sermone appellamus, quippe quod omnes aequales Latina lingua usi adhibeant.

Non igitur ex hac re concludi potest, Marneri nomen gentilicium familiae nobilis non fuisse, sed id tantum apparet, verisimile hoc non esse, quod aliud huius rei indicium non extet. Uberius tractem nonne forte inter gentilicia familiarum ignobilium sive popularium hoc nomen inveniatur non oportet, cum ante saeculum decimum quartum praeter familias nobiles gentilicia non iam in usum venerint.

Omnino quoad mihi praesto sunt litterarum huius aetatis et temporum priorum testimonia, uno solo loco incido in nomen simile. In Pardessi enim libro completo diplomata chartas epistulas leges aliaque instrumenta ad res Gallo-Franconicas spectantia, Parisiis a. 1843 edito sub numero 230 testamentum extat Bertrami episcopi Cenomanensis anni sexcentesimi decimi quinti, in quo post nonnullas alias constitutiones haec sunt verba:

„villas vero sitas in Burgundia, quas nobis gloriosus dominus noster Clotarius rex et viris illustribus Bradoni et Marnehario maiori domus dedit“ et quae secuntur.

Potest sane coniungi cum illo Marnehario nomen Marneri. Attamen nimis audacter factum videatur, si quis velit affirmare hoc solo loco usus ex scripto deprompto aetatis multo prioris, nominis forma nixus, quae num eiusdem sit ac nostra stirpis valde dubium est, vocabulum „Marnerum“ etiam temporibus saeculi decimi tertii nominis instar proprii adhibitum esse.

Ergo cum nominis proprii vim „Marnerum“ vocem habere non verisimile sit, quid aliud significare potest?

Non raro accidit saeculo decimo tertio, ut poetae sibi ipsi darent nomina e genere poeseos suae sumta aut ex ingenii atque morum natura aut e rebus vitae suae gravioribus. Id imprimis apparet in eo, qui sibi intrepidi cognomen dedit („der Unverzagte“); sed eiusdem generis nomina sunt „Singûf, Rûmeland, Frauenlob“, alia.

Cognomen igitur eius generis forsitan „Marnerus“ quoque sit, quod pro gentilicio poeta gerebat.

Extat nonnunquam apud scriptores huius aetatis vocabulum „Marner“ decurtatum e trito verbo „marnaere“.

Ita in carmine Conradi Würceburgensis, MS. 2. 205b:

swer an dem ende wol gevert,
den hât vrou Saelde gêret:
sô ze stade kêret
der marner, sô lobe in sîn heil.

Idem in codice Colaczaensi[1]):

einen man den wurfen wir vil drâte
mit gemeinem râte
ûz dem kiele über bort,
als wir heten ê gehôrt
und der marner uns gebôt.

Est illa vox derivata e Latina inferioris aetatis „marinarius" et e francogallico „marinier" nautaeque significationem habet; loco altero potius denotat navarchum sive dominum navis. Non clare apparet vocabuli vis in carmine Henrici Misniensis:[2])

swenn hât gekraet der abenthan,
daz krût wol marner trûten kan.

Müller nescit quomodo versum interpretari possit; Ettmüller emendat „murner" et ita interpretatur: „si sub vesperum gallus adest et clamat, feles praedam sectantur; nam gramine obteguntur feles ideoque id amant." Sed non video, hac emendatione multum profectum esse ad intellegendam totius carminis sententiam.

Utut autem hoc est, inest haud dubie vocabulo „marner" significatio nautae atque nautae quidem maritimi et cognomen forsitan sit poetae huic inditum, quod magna itinera mari perfecerit.

Sed huius rei ne minimum quidem indicium extat aut in ipsis poetae carminibus aut apud alium scriptorem, qui mentionem facit Marneri. Quas in poematis invenimus regiones laudatas, nihil aliud demonstrant, quam Danubium eum et Rhenum vidisse, porro moratum eum esse in Carinthia, Suevia, Franconia; Germaniae fines eum transgressum esse nusquam apparet. Si quis velit ad itinera maritima

[1]) Kolaczaer Codex altdeutscher Gedichte, 69, 530, herausg. von Graf Mailath.

[2]) Frauenlob, 383, 36. Ettmüller.

referre, quod Mariam virginem sacrosanctam in versu secundo carminis XII. stellam apellat, quam sequantur nautae in maribus („Marîa, mêres leitestern“) melius quidem et aptius Mariae dedisse hoc cognomen poeta videatur, si maris periculis territum auxilium eum petere a virgine divina putare possimus. Attamen haec Mariae laus nobis inusitata tritae instar formulae est apud poetas huius aetatis et in plerisque carminibus Mariae dedicatis reperitur.

Ita nullam habemus nominis poetae nostri interpretationem, cum volgata fundamento careat, aliam autem nemo obtulerit neque ipse meliorem habeam.

Praenomen rectum huic viro vindicare non minorem difficultatem habet.[1]) Hagenius quidem sine ulla dubitatione Conradum eum appellatum esse contendit, sed argumentis usus haud ita certis. Putat primum in quibusdam carminibus poetarum Misniensium et Moguntiacorum per paronomasiam illudi in nomen Marneri. Carmina quibus nititur omnia sunt ex ridiculis illis aenigmatis haud ita facetis, quibus haec aetas valde gaudet.

Ita Rûmzlant ap. Hag. MS. II. p. 369:

Ren ram rint rehte râten, ruoch nach meisterlîchen orden.
Wie mac daz wunderlîche wunder sîn genennet:
Ez was ein kint und wart ein man und ist ein kint geworden.
Daz wunder ist vür wunder wunderlich erkennet.
Ez ist ein ren der wildekeit, ein ram der unbehende,
Der zuht ein rint.
Vor alter gêt ez hinder sich; sîn lop hât widerwende.
Daz wunderkint
Treit grâ gevar gestopfil hâr ûf kindes kinne;
ez ist genant — nû rât! wirstu des namen inne?

[1]) Haec praenominis poetae nostri indagatio nunc ea quoque de causa gravioris est momenti, quod Rudolfus Thiersch in programmate suo quod ad refutandam Goedekii de Marnero et Reimaro hypothesin scripsit hoc quoque argumento e mea quidem sententia valde infirmo ad reiciendam illius opinionem usus est.

Referendum esse hoc poema ad Marnerum negari non potest, cum in primis verbis e more talium nugarum per ambages significetur nomen poetae (Ren ram = Mar ner); sed in verbis ultimi versus „nû rât“ denotari poetae praenomen, id quod Hagenius censet, tum demum dici potest, si ex argumentis aliunde petitis scimus Conradi praenomen huic viro fuisse: qui hoc nescit, haec verba non ita interpretabitur; aenigmatis autem vis, neglecta hac interpretatione, non deminuitur.

Neque aliter se habet carmen Misniensis apud Hagenium III. 101. editum:

Ein snelles rat lief; unde rât,
dazselbe rât treip Chuonrat,
der buoch unrât; guot was der rât,
nû rât den rât mit muozen.
Zuht an geleit ist guot geleit;
zuht kan erwenden herzeleit.
Swem sünde ist leit, Got den hie leit,
den wir ouch vürhten muozen.
Ich brach den arm, des wart ich arm.
eines wazzers arm stuont staete
unde muol diz stat
dâ stuont ein stat
der nû niht stât, unstaete
was des, was man gebûwete wider.
den schaden klage ich staete.

Quoad intellexi hoc carmen haud ita perspicuum, agit quidem scriptor de quodam Conrado et hunc ipsum poetam fuisse et ex versu tertio apparet et ex eo, quod e more huius temporis mendacii opprobrio inter poetas usitatissimo Henricus Misniensis Conradum illum afficit. Sed multi erant hac aetate poetae, qui Conradi nomen gerebant neque video, quid Hagenium permoverit, ut ad nostrum poetam hoc carmen referret. Forsitan detexerit huius rei indicia in versibus ultimis; sed tacet de eis et equidem nullo modo me eos intellegere confiteor.

Eiusdem miri generis tertium est carmen, quod Hagenius ad confirmandam sententiam suam adhibet (cf. H. III. 91.):

Aleke bat Cunzen dem ein vriunt gap hehte
in Kriekenlant man nam ûf pfant quam rehte
schalkes tât vor xpofr ym zuo selbe sprach.
Diz liet aller buoche buochstabe besliuzet:
sliuz ûf den sinn, dîn kunst des wol geniuzet.
Paris, Padouwe, Salerne ê desselben jach.
In disem liede suochet lêre.
Ein wîser man der hât verloreu sînen namen,
marn was sîn vleisch, groz was sîn êre;
swer mir den nennet, derne darf sich des niht schamen.
Ein itslich kunster râte in disem liede.
Wie hiez der man? der snepfe in dem riede
wil wilde sîn, des mak man selten in gezamen.

Marneri nomen in versu nono clare denotatur: versus quartus docet nos, quomodo versus priores intellegendi sint: verba enim, sententiae ratione non habita, omnium librorum litteras complectuntur, id est: praebent litterarum legitimam seriem in primis uniuscuiusque vocabuli litteris. Sed quod hic tertio loco Conradi nomen appellatur, ubi littera „c“ requiritur, id confirmare posset poetae praenomen, si aliunde notum esset; ex hoc carmine ipso colligi posse non videtur. Eodem modo se habet vocabulum „kunster“, quo denotari idem praenomen Hagenius putat.[1])

Ita destituti sumus argumento ex aequalium scriptis depromto, e quo praenomen poetae cognoscere possimus.

Scriptores pesterioris aetatis modo hoc, modo illud praenomen ei dant. Ita in carmine antiquo de conditoribus scholarum magistralium appellatur Ludovicus;[2]) idem nomen ei inditum est in indice clarorum poetarum in eodem libro edito. (Wgs. 503: Hanns Ludwig M.). Porro in dramate antiquo a Gottschedio typis expresso idem nomen extat.[3])

---

[1]) Nec melius praenomen poetae e carmine cognosci potest, quod codex Jenensis sub nomine poetae „Rûmzlant“ offert, apud Hagenium MS. III. p. 56. editum.

[2]) Wagenseil, Von der Meistersänger holdseliger Kunst, p. 506.

[3]) cf. Gottsched, nöthiger Vorrath z. Gesch. d. deutsch. dram. Dicht. II. 188.

Alii autem Conradum eum appellant (cf. Puschmann, gründlicher Bericht vom Deutschen Meistergesang 1596; J. Feller, Vorrede zur Uebersetzung von D. Gerhardi meditationes sacrae Lips. 1690.)

Sed ut finem faciamus huius rei amplius tractandae, iam apparet, de praenomine poetae non plus constare quam de nomine.

Melioribus argumentis confirmari potest, Sueviam poetae patriam esse.

Quem supra attuli poetam, Rûmzlant praeter carmen illud, in quo Marnerum ludificatur, aliud composuit, ex quo antea melius inter hos viros convenisse elucet.[1]) Carissimum amicum eum dicit; esse illum optimum inter poetas, qui tunc in Germania vivant ideoque magnam gloriam nomen illius habere; adhortatur eum, ne alios nimis spernat, quamvis magno ingenio a deo praeditus sit; nam diverso modo divisisse deum munera sua neque Saxoni eum minus dare quam Suevo.

Qui conscripsit haec verba, haud dubie in Saxonia ortus est ideoque cum hic „Saxo" non significatio sit gentis Germanicae ex arbitrio allatae, sed ad nomen provinciae patriae respiciat, iam ex his Suevum Marnerum fuisse apparet.[2]) Id quod melius intellegemus, si infra linguam et genus dicendi poetae accuratius tractaverimus.

Ad quod accedunt testimonia poetarum magistralium, quae per se quidem levis momenti, cum multas de scholarum auctoribus fabulas sibi finxerint, hic cum consensu in testibus huius generis mirabili id confirmant, quod imprimis carmina ipsa nos docent et carmen modo tractatum probat.

Ita in carmine magistri Ambrosii[3]) (Hg. Bd. IV. 891.):

---

[1]) apud Hagenium MS. III. p. 56. cf. Bartsch, Deutsche Liederdichter p. 216.

[2]) Potest hic afferri etiam carmen Misniensis apud Hagenium MS. III. p. 100. editum, in quo invehitur ille in poema Marneri XV. 21.

Swer sanc, daz der strûz sehe drî tage an sîn eier,
der sanc unreht, er sî Swâbe oder ein Beier.

[3]) M. Ambrosius, meisterlîche Freyung der Singer, sô die Freyung auf den Stul begehren.

Herr Marner der dritt genannt,
Ein Ritter in Schwaben bekannt;

porro loco iam citato, quem Feller descripsit e codice Lipsiensi carminum magistralium[1]):

C. Marner, ein Edelmann aus Schwaben.

Hi poetae magistrales, quin nobili loco Marnerus natus sit non dubitant.

Ita carmen illud Norimbergense (Wgs. 506) haec habet:

der siebend hiez und war von adel
Ludwig Marner, der kunst ohn Tadel
schämt sich derselben gar nicht;

et poema Augustae Vindelicorum[2]) servatum haec:

der edel Marner nacher drat
er sach der rosen zire.

nec minus nobilem originem ei vindicant omnes indices clarissimorum poeseos magistrorum[3]): ita cum inter hos omnes generis nobilitas constet, Hagenius quoque non dubitavit, equitem eum appellare Suevum. Attamen facere non possum, quin hanc rem valde in dubium vocem. Testimonia illa poetarum magistralium auctoritate prorsus carent; gaudebant enim fabulis ridiculis, ut arti suae et disciplinae maiorem gloriam atque honorem induerent deque viris, quos magistros poeseos praecipuos primas leges dedisse scholis suis gloriabantur, mira commenta in volgus edebant. Ex aequalibus autem nullus eius nobilis originis mentionem facit. Contra argumenta extant, e quibus verisimillimum sit, plebeio loco Marnerum ortum esse.

Primum equidem nullum cognovi exemplum, virum nobilem huius aetatis poesin amplexum deposuisse nomen gentis suae et suscepisse cognomen; contra semper hoc faciunt his temporibus poetae populares, quorum gentes gentilicia propria non iam gerebant. Neque id silentio praetereundum

---

[1]) J. Fellers Vorrede zur Uebers. von D. Gerhardi medt. sacr. Lips. 1690. cf. Tenzel, monatl. Unterredungen 1691. p. 946.

[2]) Augsburger Lied von den 12 meistern im Rosengarten H. IV. 887.

[3]) Wgs. 509. 7. Hans Ludwig Marner, ein edelmann. Valentin Voigt's Verzeichniss: 9. der edel Marner, Puschmann, gründl. Bericht u. s. f.: 3. K. Marner, ein edelmann.

est, quamquam hanc rem non premo, exercuisse Marnerum inimicitias acerbissimas in alios poetas plebeios neque minus ipsum vehementissime in eos irruisse, quam affectum esse contumeliis atrocissimis. Cum inter poetas plebeio loco natos assidue certamina acria flagrarent, dissensionis tam gravis et maledictionum tam mordacium a poeta inferioris ordinis in nobiles missarum nullum mihi praesto est aliud exemplum.

Ita cum iam plebeia Marneri origo mihi verisimillima esset, incidi in hunc locum chronici veteris comitum Cimbrensium[1]):

„Ich kan ouch sunderlîchen nit umbgehen, die zuo vermelden, die vermag des gar alten buochs mit iren namen seyn uffgeschriben worden unnd die gedechtnuss bey iren getichten, der lieder, den nachkommen haben bekannt gemacht, als namlich: (secuntur nomina septem poetarum comitum aut nobilitate superioris ordinis ornatorum, tum affert nonnulla nomina poetarum inferioris nobilitatis et ita pergit:) item maister Frawenlob, maister Voltzan, M. Konrad v. Würzburg, M. Klingsor, unnd M. Süsskind v. Trimberg; desgleichen der Marner, der Müetinger, der Oettinger, der Ellentreich, der Wild von Veldkirch, der Rupft den Man" et quae secuntur.

Ordinat igitur scriptor poetas secundum dignitatem, ita ut praemittat nobilissimos et nobiles; secuntur viri nobili loco non nati, qui magistri titulo ornati sunt; succedunt, qui hoc honore carent atque omnes ad unum popularis originis sunt[2]). Ita Marnerum hoc loco scriptor popularibus adnumerare videtur; id quod codex Parisinus quoque facit, qui eodem modo poetas secundum dignitatem disponit et nobilibus vocabulum „herr" praemittit. Caret autem eo Marnerus et inter poetas dispositus est haud dubie populares[3]).

[1]) Chronik der alten schwäbischen Freiherrn und Grafen von Zimbern, H. IV. 884.

[2]) cf. de his viris, alias raro nominatis, quae annotavit Hagenius IV. p. 883 b.

[3]) Jam video testem se praebere locupletissimum Carolum Bartschium, qui in anthologia sua Marnerum popularis originis virum appellat; sed argumenta ad sententiam suam firmandam nulla attulit.

Ergo quae statui possunt de poeta haec sunt: nonnulla carmina attribuuntur viro, qui apud omnes „der Marner“ appellatur; quod nomen neque gentilicium esse probare possumus neque aliter interpretari: praenomen ei forsitan fuerit Conradi: haud dubie in Suevia ortus est, sed nobilis originis esse non videtur.

Statuere quidem haec operae non pretium videtur; attamen in his quoque levibus rebus diligentia deesse non debet neque licet cum Hagenio res pro certis dare, quae explorari iam non possint [1]).

Certius tempora definire possumus, in quae incidit huius viri vita. Fieri id potest et ex carminibus Marneri ipsius, imprimis ubi commemorat alios poetas huius aetatis et ex locis aliorum scriptorum, quibus poetae memoria extat.

Ante omnia consideranda est carminis decimi quarti stropha duodecima illis carminibus adnumeranda, quae ad constituendam litterarum et poetarum historiam medii aevi haud parvi momenti sunt. Bonos poetas deplorat qui iam fuerunt: „utinam viveret adhuc magister meus Waltharius et alii poetae, qui cantabant de pratis et silvis, de cohorte

[1]) Cum iam prius versimillimum mihi fuerit, Marnerum aut ipsum esse ordinis ecclesiastici aut saltem educatione eum usum esse monastica, id maiore cum fiducia nunc repeto, quod Wilmannsius nuper mihi dixit, poetam illum clericum sibi videri e monasterio profugum. Optime congruit cum hac opinione doctrina illa re vera mira nec non sapientiae Christianae peritia mysteriorumque divinorum indagatio. Forsitan id quoque afferri possit, quod Rûmzlant laicum se appellat, ut se distinguat a Marnero (H. MS. III. p. 56. versmâ die leijen niht ze sêre.); nam quoad video hoc vocabulum in sermone medii aevi semper discrimen inter clericos et ceteros homines denotat: non adhibetur, id quod ordine ecclesiastico Marnero non attributo hic fieri debet, ad separandos viros doctos ab indoctis. Absonum quoque est a verisimilitudine, poetam illum, opponentem artem suam docto Marnero, detrectare sibi ipsum laudem doctrinae. — Ad dissensiones supra commemoratas respicit poeta quoque qui „Meister Gervelîn“ appellatur. (MS. III. p. 38: nû wil er (i. e. poeta Misniensis) dem Marner sînes sanges niht gegünnen). Porro afferenda sunt c. XIV. 12., si recte Hagenius versum octavum ad Godofredum Nifensem refert et c. XI. 3. in Regimarum iuniorem missum: in hoc nemo iam satis interpretatus est, quomodo appellare possit „doenedieb“ poetam, qui paene ubique eodem rythmo usus sit.

amore digna, de avibus, quomodo flores colorati sint; vivunt quidem adhuc cantus magistri; illi boni autem mortui sunt"!

Waltharium inde ab anno millesimo centesimo sexagesimo usque ad annum millesimum ducentesimum vigesimum septimum sive octavum vitam degisse verisimillimum est. Ita hunc annum Marnerus transgressus est: utrum ex eo, quod magistrum suum Waltharium dicit id effici possit, didicisse eum a viro clarissimo poesin et artis metricae leges, an haec verba nihil aliud sint nisi alloquii urbani significatio, id diiudicari non potest. Ad idem temporis spatium aliorum quoque poetarum nomina spectant, e quibus imprimis Reimarus minor ea de causa afferendus est, quod caeteros vita superavit. Sed cum de tempore mortis Reimari nihil aliud constet nisi vitam eum usque ad interregnum degisse, ex hoc carmine id solum colligi potest, Marnerum vixisse usque ad posteriorem partem saeculi decimi tertii[1]). In versu undecimo eiusdem carminis dominus Heinburgensis appellatur („von Heinburc der herre mîn); eius nominis virum hac aetate extare non video. Metrum requirit amphimacrum et ita aptum sit nomen „Heinzenberg", qui anno 1265 commemoratur et carmina nonnulla scripsit. Quod Hagenius haec poemata nullius pretii esse dicit et laude non

---

[1]) Jam ante initium saeculi XIII. „Heinrich der Veldekkaere" mortuus est, cuius mortem iam Wolframius deplorat; alterum Henricum („Heinrich von Rugge") arma tulisse verisimile est bello contra paganos gesto a. 1190; de Reimari senioris morte iam Waltharius conqueritur; qui appellatur in versu tertio „der Venis", non est sicut Hagenius putat, Rudolfus tertius huius gentis („Rudolf III. von Neuenburg"), qui anno millesimo ducentesimo sexagesimo tertio e vita decessit, sed secundus eiusdem nominis et familiae, qui annis 1158, 1182, 1187, 1189, 1192 in scriptis et tabulis nominatur et ante diem III. Kal. Sept. anni millesimi centesimi nonagesimi sexti diem supremum obiit. (cf. Haupt MSF. 262.) Nomen „Wahsmuot" duo poetae gerunt („der von Mülnhûsen, der von Kunzich"), ambo ad hanc aetatem pertinentes; uter hic denotatus sit, diiudicari non potest. Eiusdem denique temporis ille „Robin" est, si idem est, quem codex Jenensis Robinium Tirolensem appellat. Carolus Bartsch quidem significari his nominibus duos viros putat; sed ille quoque poeta, quem „Hêr Rubîn" nominat (Anthol. p. L. lif), huic aetati adscribendus est.

digna, id nullius momenti est, cum in verbis Marneri laus carminibus illis non attribuatur.[1])

Poetam vixisse usque ad tempora interregni e carminis decimi quinti stropha undecima intellegitur Conradino principi missa. Mortem Marneri definire possumus e carmine Hermanni Damensis paenultima decade saeculi decimi tertii adhuc vivi, in quo queritur de Marneri morte. („der Marner der ist ouch hin".) Porro scripsit poeta Saxo, Rûmzlant, poema de morte Marneri, quem senem interfectum esse a latronibus queritur: (Hg. MS. III. p. 53.)

Jêsus Krist, der Kristen
ê wart gihtic,
der mac uns wol gevristen;
daz ist ougensihtic,
todeskunft uns allen willich ist bereit!
Got hete einen marner
lange gevristet!
der was maniges warner.
Nû hât in verlistet
mortlîches tôdes vallen; Got daz ist mir leit!
Schentlîcher mort, der wart noch nie begangen
an eime kranken, blinden, alten manne,
deme selber nâch dem tôde mohte erlangen.
Die mörder sîn, die stênt ze Gotes banne!
Kristes muoter, süeze maget, gedenke,
waz er dîner lobes grüeze schône mit gelenke
manigem kunde schallen dîner wirdekeit.

Illum poetam vitam degisse etiam anno millesimo ducentesimo octagesimo septimo e testimoniis apparet ab Hagenio et Bartschio allatis; ita quamquam annum quo e vita decessit Marnerus, certius definire non possumus, non multum aberrabimus a vero, si haud multo post annum millesimum ducentesimum septuagesimum quintum Marnerum

[1]) Ceterum si quis velit „Hennenberc" restituere, quocum consuetudinem habuisse Marnerum mox afferam, ne id quidem reici potest, cum verbis poetae: „dem sint rede, wort und rîme in sprüchen kunt" (cf. Hg. II. 246a.) nihil aliud inesse opus sit, nisi amicum illum virum fuisse poeseos et carminum.

mortuum esse dicimus. Utique iam diem supremum obierat anno 1287. cf. Koberstein, Lit. Gesch. I. p. 285 (Ed. V.) Bartsch, Anthol. p. XLVI.

De ceteris vitae Marneri rebus non multum afferri potest. Moratum eum esse aliquandiu in provinciis ad Rhenum et Danubium sitis iam attuli, sicut carmen Latinum Carinthiae episcopo dedicatum hic quoque eum vixisse docet; praeterea e carminis XV. stropha 10. apparet, visisse eum castella et aulam Hermanni comitis Hennebergensis, qui anno 1247. imperium et coronam frustra petebat.

Erant qui e c. XV. 20. statuere vellent, scripsisse Marnerum maiora carmina epica; sed de hac re nihil scimus et verba ita quoque interpretari possumus, declamasse poetam apud populum singulas partes veterum poematum epicorum.

Re vera igitur apparet admodum pauca esse, quae de vita Marneri dici possint.

Quae testimoniorum paucitas forsitan imprimis Goedekium permoverit, ut confundat poetam nostrum cum Reimaro minore. (cf. Goedeke, Litter. Gesch. sub nomine Marneri.) Refellere eum studuit in programmate nuper in lucem prolato Rudolfus Thiersch,[1]) sed nescio num ubique apto demonstrandi genere usus. Ipse ille vir in libro suo nulla argumenta ad sententiam suam probandam attulit neque video alibi egisse eum de hac re. Priusquam autem ille nobis dixerit, quibusnam de causis ab opinione volgata secesserit, res ad litem et iudicium duci non potest. Id quidem elucet, utriusque poetae similem esse indolem atque ingenium, similem doctrinam, idem per carmina docendi studium, eandem animi pietatem Mariaeque venerationem eaque de causa iam diu qui scripserunt de his rebus contulerunt Reimarum et Marnerum. Sed quis miretur talem similitudinem, si accuratius consideraverit poesin huius aetatis didacticam? haud dubie enim carmina omnium poetarum didacticorum huius temporis quodam communi vinculo tenentur: in eisdem versantur cogitationibus, easdem offerunt sententias; genus dicendi simile est et in multis carminibus

[1]) Luckauer Oster-Programm 1872.

praecipue virgini Mariae dedicatis haud dubie a diversis poetis profectis non raro eadem invenimus verba et locutiones, quae iam in consuetudinem sermonis poetici venerant. Ad quod si accedit, ut ambo poetae eadem doctrina instructi sint, ut in rebus metricis ambo eodem modo leges communes sequantur, norma usitata haud ita saepe neglecta[1]), porro si genus dicendi utriusque non multum abest a trito sermone neque insigne est verbis aut formis huic aut illi provinciae propriis, in ceteris non adhibitis, nemo mirabitur, quod in multis rebus simillima nobis amborum poemata videantur.

Ita haec similitudo prorsus nullius momenti est ad rem diiudicandam.

Porro antem inter carmina a codice Parisiensi praestita duo sunt, quae cum hypothesi illa male congruunt. Est enim e strophis rythmi undecimi tertia, in qua in Reimarum vehementissime invehitur poeta: aut spuriam esse hanc Goedeke censebit aut quodam modo irrisisse se ipsum poetam. Idem interpretari debebit in carmine duodevicesimo rythmi decimi quarti verba „zwêne Regimar" ita, ut cum Reimaro maiore quispiam e ceteris Reimaris alias haud ita cognitis afferatur.

Sed mitto in praesens has res, de quibus alio tempore uberius agam. Nisi ille vir operae pretium putaverit argumenta prodere, quibus defendat opinionem suam, nisi docuerit, quomodo ille unus poeta cum omnium consensu in duos divisus sit, auctoritatem non habebit annotatio illa.

---

[1]) De carminibus Marnero attributis id infra exposui; Reimarum alio loco tractabo ibidemque exponam, esse quasdam inter ambos poetas diversitates, quamvis similis eorum poesis primum videatur.

§. 2.

De carminibus in codice Parisino servatis.

Locuturus deinde e more auctorum, qui de vita et scriptis poetarum egerunt, de indole atque arte Marneri plane nihil dicere videar, nisi prius paucis adumbraverim, quaenam carmina ab ipso poeta profecta sint. Uberius hanc rem infra tractabo singula carmina perscrutaturus et in quaestionibus interpretationis et artis criticae versaturus. Hoc loco id praecipuum considerandum est, tria esse carminum genera, quorum rationem habere debeamus.

Primo loco enim haec afferenda sunt, quibus in codicibus manuscriptis ipsum poetae nomen suprascriptum est, ita ut appareat, eum qui conscripserit librum a Marnero ipso composita esse haec carmina putavisse; porro autem permultae strophae extant sub titulis non ita distinctis, per quos nihil aliud scribae dicunt, quam quae subscriptae sint perfectas esse ad rythmorum leges a Marnero inventorum (sicut: „in des Marners langer weis; in Marners hofdon“ etc.); in nonnullis denique codicibus sine ullo additamento carmina in stropharum formis Marnerianis feruntur.

Solus Parisiensis ex omnibus libris qui Marneriana complectuntur ita sub poetae nomine carminum seriem memoriae tradit, ut scriba haec omnia deberi illi viro censuisse haud dubie cognoscatur. Magni igitur momenti esset ad quaestiones nobis propositas diiudicandas, si pro explorato haberemus, quid illi scribae in talibus rebus auctoritatis attribuendum sit; egit de hac re Wilmanns HZ. 13. p. 217 sq., ubi exponit, quomodo Waltharii carmina memoriae tradita sint. In universum hic liber aut fontes e quibus derivatus est non temere incerti auctoris carmina cuilibet poetae vindicare videntur et a recta via non aberrabimus, si diligenter perscrutati quae sub nomine poetae Parisinus affert intellegere studebimus, quae sit illius indoles genusque dicendi et ars metrica et ita quodam modo normam certam atque regulam adepti adhibebimus illam ad caetera exigenda.

Exhibet Parisinus strophas octoginta et unam inde a

pagina CCCXLIX a. usque ad paginam CCCLIV. d.; haec poemata stropharum formas exhibent quindecim, inter quas rythmorum aurei, aulici, longi specimina apud poetas posteriorum temporum celeberrimorum.[1]) E poematis eroticis quartum videntur et decimum non integra tradita esse; omnia puto ab ipso poeta composita, cum omnia idem praestent genus dicendi, eandem in legibus metricis adhibendis rationem, nec sententiae in eis pronuntiatae ita differunt, ut eiusdem esse viri non possint.

In his igitur carminibus excutiendis primo versandum est. De argumento eorum quae ad tempus Marneri definiendum usui sunt iam supra egi, de ceteris pauca sufficient.

Jam e tempore, quo vitam suam poetam degisse modo exposui, colligi potest, in eo ultima poeseos vere eroticae vestigia inveniri. Extremis aetatis illius annis poetae florebant Misnienses et Moguntiaci quos tamquam suae artis principes poetae magistrales qui dicuntur sibi arrogabant, Marnerumque ipsum huic celebri cohorti adnumerabant. Re vera carmina Marneri e more veterum poetarum eroticorum composita minime sunt iucunda et grata: prorsus huic poetae deest suavitas illa Waltharii, qui in carminibus huius lusorii generis identidem festivitate ingenii et nativo quodam lepore nos delectat. Quae servata sunt ex eroticis Marneri carminibus (c. IV, V, VII, VIII, IX, X), quodam modo rigida mihi videntur et dura; genus dicendi nimis planum est, colore vere poetico carens, sententiae in trito et volgari sermone versantur aut putide ineptequo dictae sunt, si altius poeta assurgere temptat. Sunt quidem pauca modo servata et ex his carmina quartum et decimum mutilata; sed e superstitibus facile cognosci potest, quod Marneri fuerit ingenium, caetera quoque melioris notae non fuisse. Magis placent carmina II. et III., in quibus e more Wolframii a poetis Galliae meridionalis translato custodes facit in arcium turribus diem iam appropinquare amantibus pronuntiantes secedendique tempus advenisse. Non quidem illum poetam genere dicendi gravi et vere poetico aequat,

[1]) „Marners goldner Ton“ apud Hagenium sub numero I.; „der Hofton“ ib. XIV.; „die Langweis“ ib XV.

quod unum maiore iucundidate talia poemata ornare potest identidem in eisdem rebus describendis versata; sed haec carmina Marneri certe multis aliis eius generis praeferenda sunt, quod non temere Wolframium imitatus turget sermo atque moleste inflatus est; id quod apud alios saepe invenimus.

At non his de carminibus Marnerus in tanto honore fuit apud poetas posterioris aetatis; imprimis perfecit poemata gnomica et didactica et eorum artem sententiarumque copiam et vim mirati illi in scholarum conditorum numerum eum recipiebant.

Jam verba, quibus incipit in codice Parisiensi carminum series, documento sunt, poetam non tam delectare velle, sed prodesse docendo hominibus; „animum attendite ad parvam formicam, ait; cum hiemem appropinquare sciat, colligit per aestatis messem prudenter cibos suos; idem vobis faciendum est, homines, et vestra officia praestanda, ne die indicii in summas poenas irruatis“, et haec severe admonendi et acerbe castigandi ratio in omnibus Marneri poematis eius generis invenitur et ea ne erotica quidem carent. Est poeta vir gravis et sincerus, incidit in tempora perturbata dissensionisque et vitiorum plena et sic ut alii boni poetae huius aetatis poesi utitur, ut homines increpet et reprehendat ad pietatemque et ad fidem colendam adhortetur. Mores et vitam emendanda esse; nam mox adventurum diem iudicii quo deus maximus in omnes vitiosos poenas gravissimas animadversurus sit; nescire homines, quid nos mortuos exspectet: quicunque mortem sempiternam effugere velit, severe obsequi eum debere praeceptis dei et id manu perpetrare, quod lingua promiserit; e vestigio hunc diem terribilem iudicii atrocissimi adventurum esse neque ibi profuturas lamentationes et querelas: iustitiam dei repetituram iustas poenas ab omnibus (cf. strophas quattuor in rythmo aureo compositas Par. CCCXLIX. a—d; XIV. 4). Imprimis in invidiam et mendacium invehitur poeta, quae duo vitia tamquam fontes morum corruptorum poetae ubique castigant (cf. Hg. XI. 1; VI.; XV. 23) nec dissentit a ceteris de suarum rerum miserie questus: beatos esse possidentes;

qui nihil habeat, nullo honore frui; divitem multos numerare amicos, sed pauperem inopem esse ubique et destitutum, haud ita aeque divisisse dei gratiam bona; nonnullis eum dedisse tantum, ut multi ex eo satis habere possint, alios valde egere et praeterea viros divites superbos esse et insolentes. „O care pater Jesus, hoc bene factum est? Nonne scis, care deus, me ita pauperem esse?“ sed se ipsum statim emendat, quod fortunae suae se paeniteat, dei esse suum cuique dare deique consilia quamquam saepe obscura semper optima esse (cf. rythmi aulici strophas 9 et 10. Par. CCCLIII. cd.)

Aenigmatis formam huic aetati pergratam bis adhibuit (XI. 11. s. XV. 15 Hg.); libenter fabulis de animalibus narratis praecepta et sententias suas exornat. Ad imperii miseras res illustrandas de ranis loquitur quae a deis petebant, ut regem sibi darent: lignum e caelo demissum mox spernebant, ita ut tandem ciconiam deus mitteret, quae ranas tumultuosas et insolentes devoravit. In carmine XIV. eiusdem rythmi aulici de bufone narrat, qui in contione animalium ad regem creandum convocata, ut sibi ipse suffragia conciliaret, immodice sese inflavit et diruptus est. In carmine XIII. rythmi longi fabulam affert de lupo et vulpi, ib. c. XXI. allegorice interpretatur quas dicunt res a leone aliisque animalibus adhiberi ad pullos suos mortuorum instar ad lucem prolatos suscitandos; ubique libenter animalium exemplis utitur (cf. XV. 18; VI. 1. 2.)

Doctrinam christianam virum ita severum his temporibus pio animo coluisse, non est quod multis dicam.

Versatur assidue in explicandis mysteriis divinis, quomodo idem deus unus possit esse et tres, quomodo idem fuerit a principio mundi et posterius natus sit a virgine. Dei omnipotentiam in operibus naturae agnoscit: multas esse res admirabiles terra marique multaque nobis cognita esse per libros et per sapientes viros; ante omnia autem id se mirari, quomodo terra fixa sit, ubi undae profundissimi maris imum terminum tangant, quas latebras nox petat ad diem luciferum vitandum. „Sed deo has res permittamus,“ addit, „qui munere suo bene fungitur, neve sicut

stulti voluntatem et praecepta illius neglegamus; nam ille multas res admirabiles perfecit et robore suo terram creavit et caelum, idem bene perspexit hominum animos et consilia atque maris guttarum ingentem multitudinem numeravit.“ (cf. XIV. 4; 11. — similis argumenti ib. 15, 17 Hg.)

Imprimis autem poeta sanctae Mariae laudes cantat, matris purae et virginis, feminae ex omnibus optimae, cuius virtutes satis laudibus extollere nemo possit. Suo iure igitur ille poeta Saxo, cum Marnerum mortuum esse audivisset, a sancta virgine petivit, ut hunc virum apud filium defenderet, qui eam veneratus esset tanta pietate.

Non vero haec animi pietas poetam prohibet, quominus vehementissimis opprobriis papae et clericorum insolentiam atque superbiam increpet, qui iniuste iura et potestatem sibi arrogaverint et ad summa imperii obtinenda nitantur; opes et divitias Germaniae ab eis devorari, ubique rerum miseriem ab eis augeri, quos ad leniendos dolores dei clementia elegerit (cf. XIV. 6; XII. 2.) Nec minus acerbe imperii principes reprehendit, qui dissensionibus in Germania ortis utantur ad lucrum sibi parandum; hic afferendum quoque est illud pulcrum carmen Conradino dedicatum, in quo principi adulescentulo praecepta dat de regum officiis (cf. XIV. 8, 13, 14; XV. 11, 17).

Hugo Trimbergensis in versu millesimo trecentesimo et sq. carminis sui [1]), ubi de magnis poetis aetatis suae verba facit, post Waltharium et Reimarum Marnerum nominat, qui cum his suo iure consociari possit et ita pergit: „idem Marnero concedo, (sc. hunc quoque ingenii iucundi et sapientis esse dico); quicunque magistrum Conradum Würceburgensem vidit aut carmina eius, bene eum his adnumerabit; nam eorum vestigia sequitur. Sed omnes anteit Marnerus, qui sermonis Germanici incunditatem et Latini pulcritudinem sicut aquam liquidam et vinum optime miscuit ad dulcem cantum“ et quae secuntur.

Dicere videtur ille vir carmina partim in Latino partim in vernaculo sermone conscripta; eius generis ex his tem-

---

[1]) Hugo v. Trimberg, Der Renner v. 1300 ff.

poribus multa nobis tradita sunt, sed nullum a Marnero compositum. Sed extant duo poemata ex omni parte Latina; unum quod porrigit Parisinus p. CCCLIV d, de septem liberis artibus agit: fundamentum earum grammaticam ponere, ad methodi principium viam dare dialecticam, duplici modo decorari sermonem a rhetorica et quae s.; inde ab undecimo versu ad naturam theologiae, alchimiae, ceterarum artium paucis describendam poeta transit. In versu ultimo nescio cur Hagenius lectionem „hiis" pro „his" per lapsum calami scribae Parisini ortum non correxerit; nam vocales longas his temporibus eadem littera bis scripta designare non solebant. In eodem versu metrum perturbatum videtur. Nam est ad longi rythmi normam hoc carmen compositum et in hoc ultimus versus octo arses habet, non novem sicut noster. Certissime „ut" tollendum est, quod ad sententiam plane redundat et ex neglegentia scribae, qui Germanam horum verborum interpretationem animo tenebat, in contextum irruit. De vocabulo „sed" dubitari potest, num retinendum sit, cum hic versus anacrusin habere aut omittere possit idemque neque omissum a sententia requiratur neque servatum molestum sit.

Differt porro mensura huius poematis ita a longa quae dicitur stropharum forma quod non sicut in aliis versus primus, tertius, sextus, octavus parem syllabarum extremarum sonum exhibent, sed similibus clausulis primus cum tertio, aliis sextus cum octavo coniunctus est. Quod praeterea non solum versus 5, 10, 20 similes clausulas habent, sed easdem vv. 2. 4. 7. 9. 15. 16. 17. 18. 19, id per naturam linguae Latinae factum est, ubi terminationibus casuum distincte servatis multa verba in easdem litteras exeunt.

Alterum carmen Latinum in codice Monacensi ab Hagenio inspecto servatum extat. Id quoque a Marnero ipso quin profectum sit in dubium vocari non potest, cum in margine codicis Marneri nomen adscriptum sit inque Parisiensi p. CCCII. a. tradatur fragmentum carminis erotici in eadem mensura compositi (typis expressum apud Hag. III. 333.) Laudibus extollit poeta episcopum Carinthiae, cuius

nomen in versu extremo strophae sextae coniectura repertum volt.[1])

Quae carmina cum iuste inditum esse poetae nostro docti cognomen luculenter demonstrent, non minoris doctrinae vestigia in poematis vernaculo sermone conscriptis nobis praesto sunt. Habet multa verba e lingua Latina translata (XIV. 3, 7. creatiure; XII. 1. 7. maiestât; XIII. 1. 18. 19. 20. lucern, latern, persone; XIII. 2. 8. altissimus [eclipsis]); non ignarus est mythologiae Graecae et Romanae. De Gorgonis capite et Anteo loquitur, de bello Troiano, de sirenis et chimaera (cf. XIV. 13, XV. 22.) Eundem virum peritum esse fabularum et mythorum Germanorum e carminibus XV. 20 et 22; XI. 2; XIV. 6; III. 2 cognoscere possumus. In stropha vicesima rythmi XV. homines a se petere dicit, ut carmina apud eos declamet de veteribus fabulis longamque seriem affert, in quibus bene versatus sit; utrum ex his verbis Marnerum ipsum composuisse carmina epica colligi possit an ad opera aliorum haec respiciant, non apparet.

(cf. Grimm, Wilh. Heldensage p. 161.
Lachmann Ueber Singen und Sagen p. 9; id. Iwein 347.)

Sed haec hactenus. Jam transeamus ad leges metricas a poeta in his carminibus adhibitas considerandas.

---

§. 3.

De rebus metricis.

Ex quo primus Lachmannus accessit ad accuratius tractandas et perspiciendas leges rythmicas et metricas a poetis Germanicis medii aevi adhibitas, multi viri docti operam et studium eodem contulerunt et eruere conabantur eas e situ et robigine vetustatis. Itaque cum iam Hauptii, Pfeifferi, Zarnckii, Wilmansii, aliorum curis optime de ple-

[1]) Wilmansius potius consulto omissum esse nomen putat, ut aliud inserere posset poeta, prout necessitas desideraret.

risque eius generis rebus edocti simus, id imprimis etiam nunc non satis explicatum videatur, qua ratione unusquisque poetarum his legibus usus sit, qui ex his re vera artem metricam exercuerint tam puram et restrictam, qui magis sibi indulserint et maiore cum licentia versus suos composuerint, denique quomodo elisionem, apocopen, synaloiphen, alias huius generis res singuli usurpaverint, quibus verba saepe ad metri normam non accommodata metricis legibus subiungere solebant. Nam praecipue in his rebus sunt quaedam inter poetas discrimina ideoque, si quis sibi proposuerit carmina cuiuslibet poetae accuratius perscrutanda, investigare debebit, qua quisque fuerit aut diligentia aut neglegentia in carminibus suis pangendis quamque demonstraverit in consociandis verbis cum numeris artem. Id quod in Marneri carminibus ita me perfecisse, ut Marneri artem cum Walthario comparem, qui speciminis instar est poetae optimi et maxime perpoliti, probatum iri spero nec minus me in tractandis singulis rebus auctoritati concessisse virorum, qui de rebus metricis illius poetae egerunt. Imprimis usurpavi nomina ab eis singulis rebus metricis indita et servavi quoad fieri potuit ordinem in rebus disponendis eundem primumque in hac scriptiunculae meae parte de normis agam, quas in strophis componendis Marnerus adhibuerit, tum demonstrabo qua ratione singulos versus clausulis similibus extremorum verborum coniunxerit, transibo denique ad versuum explicandam structuram tractandasque res, quas iam supra tetigi, elisionem, syncopen, apocopen, synaloiphen, quibus verba a metri mensura et ictu aliena consociare temptabant cum numeris poetae.

I. De trichotomia carminum et stropharum compositione.

Id quod Westphalius aliique viri docti nuper in carminum lyricorum compositione Graecorum et Latinorum demonstrare conati sunt, plerasque eorum strophas ita esse excogitatas, ut certam legem versuum coniungendorum adhuc indagare possimus et quod quamquam non iam in multis carminibus distincte explicatum re vera verisimillimum

videtur, cum carmina lyrica Graecorum nec non chori tragoediarum ubique composita sint simul cum cantus modulis, id in carminibus lyricis medii aevi luce clarius apparet. Quod omnia ita fecerunt poetae, ut extremis versuum syllabis eundem sonum darent parique sono membra diversa carminum coniungebant, facile leges rythmicae cognoscuntur, quas illi adhibebant et facile docere possumus, quas in partes strophas singulas diviserint.

Et primum quidem id dicendum, non iam, si duo carmina eosdem habeant numeros et versuum dispositionem, prorsus eandem formam ambobus esse attribuendam. Uniuscuiusque carminis forma complectitur numeros et modulos (quod germanice dicimus „Ton und Weise") et cum illos solos cognoscamus, illi perierint, summa cautione opus est, ne quis si eodem strophae genere usos esse plures poetas videt, hunc sibi arrogasse carminis formam ab altero inventam inconsiderate statuat. Quod nonnunquam legimus, poetas aliis id opprobrio vertere, quod carminum formam alius alii surripuerit, id quoque non ad numeros sed ad modulos respicere Wilmannsio videtur.

Carmina porro ita componunt poetae, ut omnes strophae eiusdem carminis eundem rythmum exhibeant; id quod tum solum neglegunt, si hac ipsa re sententias volunt quodammodo premere animosque auditorum arte demonstrata commovere. Ita Waltharius in sexta stropha carminis 73. 23. L. (W. 11.) epodum ter repetit; Marnerus in nullo carmine servato hoc arteficio utitur.

In universum autem ubique illam legem secuntur poetae, quam trichotomiam apte nominare possumus. Ita strophas dividunt, ut duo versuum systemata praemittantur, in quibus numeri exhibentur ex omni parte eidem, ita ut unicuique versui prioris membri respondeat versus alterius ad eandem normam compositus; hi versus porro invicem sibi respondentes persaepe coniuncti sunt aequato syllabarum extremarum sono; sin minus, utriusque membri versus ultimus clausulas exhibet similis soni. Sequitur epodus, qui alias habet versuum structuras et numeros, ita tamen ut hic quoque quodam modo systematis prioribus par sit.

Qui epodus aut prorsus alias porrigit versuum clausulas, id quod reperitur in plerisque Waltharii carminibus. Ex generibus stropharum, quae Marnerus adhibuit, quindecim cognovimus: horum bessem (e quindecim decem) ista ratione composuit.

Coniungunt vero nonnunquam poetae ista epodum cum systematis praemissis, ut clausula extremarum utriusque systematis versuum repetita extet in ultimo aut alio versu epodi. Ad hanc rationem Waltharius praecipue illa carmina composuit, quibus sententias dat et iudicia de rebus hominibusque quaeque carmina gnomica aptissime in sermone Latino appellare possumus („Sprüche"); sed habet idem carmina lyrica nonnulla eius structurae sicut 112. 3; 112. 10; 114. 30; 114. 37 etc. Marnerus in carmine primo versui epodi extremo eandem clausulam dat atque ultimis versibus amborum systematum, ibi quidem hac ipsa re, quomodo composita sit stropha nos docens. Nam cum sint qui censeant, poetas eroticos medii aevi praeter strophas in tres partes divisas etiam aliis esse usos in quinque aut compluria membra distinctis, hoc carmen documento est, cautissime poetis aliam quam triplicem normam adscribendam esse. Nam facile qui obiter perlegat stropham ita distinguat, ut duo putet esse carmini nostro systematum iuga praemissa, quorum prius contineat versus a primo usque ad sextum, alterum versus quattuor proximos epodum autem coercendum esse inter tres ultimos versus. Sed qui ad versuum clausulas respexerit, cognoscet versibus tertio, sexto, decimo tertio similem esse syllabarum extremarum sonum ideoque trichotomiam esse statuendam, ita ut versus 1—3 respondeant versibus 4—6 epodusque contineat septem ultimos versus. Sed epodus ipse ita divisus est, ut in ipsa hac carminis parte versus 7—10 alterum efficiant systema praemissum, quod vv. 11—13 epilogi instar minoris secuntur.

Sexta stropharum forma ambas systematum clausulas in epodo repetit; in carminibus septimi rythmi systematum praemissorum ultimi versus eandem habent quam tres extremi epodi versus clausulam. In generibus rythmicis undecimo et decimo quinto systematum amborum et epodi ultimi versus

pari verborum sono coniunguntur. Praeter carmen septimum omnia sunt poemata Marneri ita constituta gnomica.

Quam amplexus est Waltharius in uno carmine rationem (118. 24. L. = 26 W.), ut epodus novas clausulas omnino non afferat, sed has solas exhibeat, quibus iam in systematis praemissis poeta usus sit, eius rei apud Marnerum exemplum non extat.

Trichotomiam nonnunquam a poetis videri amplificatam iam dixi idemque iam egi de carmine primo, ubi quinque partes statuendas esse forsitan quis dicat.

Cum hic certas habeamus causas, de quibus trichotomiam retinendam esse dicendum sit, in secundo stropharum genere id nobis non licere infra uberius explicabo. E ceteris imprimis sexta forma rythmica oculos nostros in se convertit, in qua poeta epodo numeros et clausulas easdem dedit ac systematis praemissis; haec forma iam simillima est rythmorum generi a poetis, qui magistrales dicuntur, saepe adhibito, in quo post epodum repetunt systema praemissum. (cf. Grimm, Meistergesang. p. 64 ff.)

Quae aliae res videntur maioris esse momenti in constituendo stropharum rythmo, eas paullo infra tractabo, cum saepe ab annotationibus criticis et exegeticis avelli non possint.

II. De versuum clausulis similibus.

Poetae medii aevi in universum magna cum diligentia in eo elaboraverunt, ut syllabae versuum extremae quae aeque enunciatae versus coniungerent prorsus haberent eundem sonum et litterarum vim neque multae apud bonos et polites poetas clausulae extant raucae atque inconcinnae. Quae huius modi irrepserunt ad leges artis metricae severe non accommodatae in Walthari carmina sunt perpaucae. Marnerus quoque in universum diligentiam ostendit in his rebus et severitatem; quas invenimus huius generis res minus accuratas, facilius excusari possunt ex proprietate sermonis provinciae patriae Marneri. Ita si nonnunquam vocalium mensuram neglegit:

L. 3, 1 : 2, war : klâr. (quam illud vocabulum quod

Gothones „hvar", Germani veteris aetatis „hwâr" dicunt, temporibus poëtarum eroticorum ubique formam „wâ" habet, illam „wâr" raro tantum apud praepositiones; sed pro vetere „hwaro" homines medii aevi verbo „war" utebantur, id quod nostro loco extat, nisi forte interpretatione nimis artefìciosa adiectivum „verus" hic putas adhibitum esse.

Eiusdem generis:

VIII. 2. 2 : 5. gar : wâr.

ib. 4. 1 : 4. kan : undertân.

IX. 5. 6 : 8. gân : man.

XI. 8. 1 : 3. Regimar : hâr (sed minus molestum videtur, quod prius vocabulum nomen proprium est.)

XII. 2. 3 : 7. dar : jâr. (nam hic quoque ab antiquo „thara, dara" („dahin") hanc vocem derivandam esse ex verborum sententia apparet, non a priore „dâr, thâr" („dort").

XIII. 1. 8 : 10 : 11. gar : schar : klâr.

XIV. 3. 15 : 16. itewiz : biz. (sed invenitur etiam correpta prioris vocabuli syllaba ultima.)

XIV. 10. 9 : 11. man : getân.

XV. 9. 2 : 4 : 7 : 9. bar : bar : var : offenbâr.

VII. 1. 9 : 10 : 11. dich : rîch : sprich.

Vix oportet afferam locos, quibus syllabam — lich pro brevi adhibet. Ita

III. 1. 3 : 6. sich : minneclîch.

XV. 13. 1 : 3 : 6 : 8. sich : wihteclich : dich : mich.

XV. 42. 2 : 4 : 7 : 9. sich : ewiclich : sicherlich : üppiclich.

Restant duo loci (I. 3. 4 : 5. slege : pflëge; XV. 11. 2 : 4 : 7 : 9. gâben : heben : nëben : lëben), qui minus accurati ea de causa videntur, quod litterae „e" syllabae in his vocabulis prioris non omnes sunt eiusdem originis et soni ideoque a poetis qui arte delectant accurata ad aequandas clausulas eiusdem versuum iugi libenter non adhibentur.

Itaque cum omnes hae res licentiae nimiae testimonia non sint, id solum e carminibus Parisinis annotandum est, quod VIII. 5. 2 : 5 ad efficiendum clausularum parem sonum litteram „n" neglexit in versu quinto (gevüege : genüegen.)

Haec de his: Quod praeterea similibus versuum clausulis persaepe poetae utebantur ad ornandam et subtilius excolendam strophae structuram, id in carminibus Marneri quae servata sunt raro tantum apparet.

Ita sonum verborum vicinorum aequabant („Schlagreim"). Apud Waltharium eius generis est carmen XVI. W., quod Wilmannsio spurium videtur. Potest similis generis esse apud Marnerum in stropha tertia rythmi sexta versus quintus: „wes des waen ich wes"; sed non habent rem similem huius rythmi aliae strophae.

Coniungebant porro aequis clausulis primam atque ultimam syllabam eiusdem aut plurium versuum („Pausen"). Huius quoque arteficii num sit re vera versus modo laudatus exemplum, dubium est, cum versus qui cum nostro conspirant eandem rem non praestent.

Praeterea idem vocabulum in fine versuum posuerunt, sed ita ut significatio esset altera („Rührende Reime", apud Marnerum III. 2. 9 : 11, werden = dignum : fieri; cf. XV. 10. 16. wern, gewern, wern; XV. 9. 2 : 4. bar.)

Ut alia praeteream apud Marnerum exemplis non probata, nonnunquam duae aut plures strophae ita coniunguntur ut quidam prioris versus eundem habeat ac quilibet alterius strophae extremae syllabae sonum. („Körner".) Quodam modo huius generis carmen secundum est, in quo versus vicesimi et vicesimi primi stropharum secundae et tertiae easdem habent clausulas (mac, tac, — hac, tac"); prima stropha porrigit „sagen" et „tagen"; sed quae est talium clausularum natura, re vera coniungere voluisse poetam omnes tres strophas ultimis verbis ultimi et paenultimi versus aequatis recte dices neque inconsiderate eum eodem verbo omnes tres strophas clausisse.

Id denique dicendum est adhibuisse poetas etiam in versu ipso similes verborum clausulas, id quod metrici Germaniei „Binnenreime" appellant eaque de causa non ex eo quod verborum extremas syllabas invenimus eiusdem soni ubique colligi potest, hoc loco versus finem statuendum esse. Sed difficillimum est diiudicatu, quibus aequatae sint nonnullorum vrrborum clausulae in ipso versu. Id scire poteramus

si cantus moduli horum carminum cogniti nobis essent. Sed e numeris solis persaepe res valde dubia erit.

III. De versuum structura verborumque metrica pronuntiatione.

A. De thesi omissa.

Inde ab antiquissimis temporibus hanc legem poetae Germanici usurpabant, ut arsium[1]) certum numerum unicuique versui attribuerent, theses autem aut immiscerent aut tollerent; quamquam id quoque haud sine certis regulis fecisse videntur, quas hic praetereo. Posterioribus temporibus poesis epica hanc sibi licentiam servavit, sed lyrici paullatim ita versus suos componebant, ut ubique arsem sequeretur thesis. Waltharius haud ita saepe hac licentia usus est. Extant nonnulli loci in carminibus et lyricis et gnomicis, sed unus tantum eius generis, ut inter duo verba thesis omittatur. In Marneri carminibus multi extarent loci, ubi huic priscae licentiae poeta indulgeret, si Hagenii textus ubique verba a poeta scripta exhiberet. Sed puto nonnullis locis haud dubie versus corruptos demonstrari posse, aliis afferri certas causas, de quibus legem usitatam poeta non servaverit.

Ita haud dubie consulto thesis omissa est in quinto versu rythmi sexti: „túmp mán; vriúnt mîn; wés dés;“ forsitan eadem post caesuram in decimo versu rythmi octavi (at cf. quae dixi §. 4. VI.) et in secundo et quarto rythmi decimi: „stáeten vriúnt dáz; kúmt ein sénf dér.“

VI. 2, 1. haud dubie ante verba: „dem beine“ inserendum est vocabulum „Bì“, ita ut thesis restituatur (cf. §. 4. VI.); forsitan quoque VI. 3. 6. licentia tollatur („schrîent ouch grillen“), si ultimo verbo articulum praemittimus („schrîent ouch die grillen“). In eodem carmine thesin omissam videmus 3. 2 („wáhs bérn“); sed haec stropha valde corrupta nobis

[1]) Usus sum verbis „arsis“ et „thesis“ in trito ac volgari sensu, quamquam non ignoro, demonstrasse Westphalium, nos Godofredi Hermanni auctoritatem secutos prorsus confundere significationes vocabulis illis a metricis Graecorum et Romanorum attributas. Sed facile perturbabit res, qui nunc ab errore usitato secedit.

tradita est; praepositionem „bî" restituendam esse modo dixi; praeterea autem versus quartus uno iambo decurtatus est, ita ut in dubium vocari possit, utrum poeta ipse thesin omissam voluerit annon. — In carmine tertio habent quidem strophae II. et III. rectum thesium numerum in versibus qui sibi respondent secundis et quintis; sed quod deest prima thesis versus secundi et quinti in stropha prima, id eo magis consulto factum videtur, quod carmen est e matutinis quae dicuntur („ein Tagelied") et quod Waltharius quoque in tali carmine hanc legem minus accurate observavit (cf. Wilmanns, Proll. Walth. p. 39.). Porro afferendi sunt versus V. 1. 6 dú bíst; XIV. 16. 13 élliu dínc wíl; XV. 14. 9 mê dánne genúoc.

Omnino igitur Marnerus magna cum diligentia in norma legitima observanda versatus est.

B. De anacrusi.

Si primam versus syllabam accentu notatam anteit thesis, anacrusin hanc appellamus; quam saepe neglegunt poetae in uno versu, dum alteri qui huic respondet praemittunt. Sed cave credas hoc fieri sine ulla regula aut norma; statui possunt certae causae, de quibus hanc licentiam arrogaverint sibi poetae; videntur autem hae esse apud Marnerum.

Si prima versus vox sententiae natura valde praegravatur, id quod fit si haec vox personam quam alloquitur poeta significat (XIV. 3. 5. Rose in himeltouwe; ib. 3. „hoh erborne Gotes tohter") aut si initio versus exclamatio invenitur aut iussus et exhortatio datur (I. 1. 1. Mérket án); forsitan quoque poeta hanc sibi licentiam initio membrorum metricorum concesserit. (cf. XIV. 15. 5.)

Optime cognoscemus quas secutus sit in anacrusi adhibenda regulas poeta, si carminum seriem in rythmo decimo quarto compositorum consideraverimus. Haec sedecim poemata omnino ostendunt leges metricas et rythmicas accurate observatas. Ex his cum unaquaeque stropha unum efficiat carmen, eo minus requires, ut omnes qui sibi respondent in diversis strophis versus aut habeant ad unum anacrusin aut

tollant, cum iam per se in carminibus gnomicis magis secedere a legibus artis metricae severis poetae soleant. Sed hic quoque summa cum diligentia id studet Marnerus, ut versus qui sibi respondent in systematis praemissis eiusdem strophae exhibeant aut ambo anacrusin aut ambo omittant: sin vero id neglectum videtur, certis de causis id fecisse poeta demonstrari potest.

Nam qui sibi respondent versus primus et quintus ubique anacrusin ostendunt. Quod enim III, 5 omissa est, id eo excusari iam dixi, quod primis verbis Mariam poeta alloquatur. — Versus 10, 5 et 12, 1 ita sunt: „maniger der ist rîche"; „maniger saget maere"; tollitur quidem maximam partem littera „i" huius vocabuli apud Marnerum per syncopen (cf. infra sub D. 3.); attamen in eodem nonnunquam poeta omnes tres syllabas servavit itaque non tam dicemus neglectam esse anacrusin in his versibus, quam hic non uni syllabae accentum metricum distinctum datum esse, sed vacillare eum inter duas priores syllabas, id quod initio versuum persaepe accidit cf. p. 38 sq. — 15, 5 („vogeln, vischen, tieren") contra non „vogelen" scribam et hic quoque vacillare accentum initio versus contendam, cum apud Marnerum ubique si duae litterae „e" accentu verbi non notatae per simplex „l" separantur, posterior per syncopen tollatur; potius credam, exemplum hic extare, poetam initio quoque membrorum carminum metricorum (incipit systema praemissum posterius) hanc sibi licentiam concessisse; id quod per se verisimillimum videtur et cuius rei apud Waltharium quaedam vestigia inveniuntur. cf. Wilmanus, Proll. Walth. p. 41. e.

In versibus, qui eundem obtinent in systematis praemissis locum et eisdem clausulis coniunguntur secundis et sextis, quindecies ambo anacrusi careat; in carminibus IX. et XII. uterque versus eam exhibet; in carmine XIV. forsitan delendum sit vocabulum „unt" („unt wolten einen kunic weln"); nam versus sextus anacrusi caret.

Jugum versuum tertii et septimi undecies anacrusin non praestat. In carmine tertio versus septimus eam habet: „dû bíst vor áller créatiúre Gotes trût"; versus tertius ea

destitutus est, sed hic quoque Mariam poeta alloquitur („hóh erbórne Gótes tohter.“) — In carmine XIV. haud dubie corrupti sunt hi versus. Videtur scriba quilibet, ut eodem modo coniungat in versu tertio bina verba per copulam „unt“, hanc vocem falso inseruisse inter „wisant“ et „helfant“. Ita cum hic versus male auctus septem porrigeret arses, volebant versum quoque septimum ad hanc normam redigere et vocabulum „diu“ intrudebant post „krote“. Restituimus facile metrum, si e copulis unam tollimus in versu tertio; in versu septimo „diu“ delendum est; ita versus nobis praestat duas syllabas vocabuli „krote“ ad unam correptas, id quod in arsi usitatissimum, in thesi raro invenitur: sed nescio an hic id ea de causa facilius ferri possit, quod initio versuum saepe accentum vacillantem reddunt poetae. Eadem de causa in carmine XVI. quoque non esse anacrusin statuendam censeam; („diu vogel singent niht“,) nam versus tertius ea caret — Anacrusis versus tertii in carmine XVIII., ubi versus septimus ea caret, minus molesta videtur, quod referti sunt versus nominibus propriis, quae in omnibus linguis poetae difficile cum metro consociare possunt ideoque maiore cum licentia ad numeros accommodant. — In versu septimo carminis primi „ein blüendiu gerte von Jesse“ sine ulla dubitatione verbum „ein“ tollo, cum in versu nono verba „dîn lîb etc.“ haud dubie ad Mariam referenda sint, et ita melius in versu octavo verba „dîn geburt“ sic interpretamur, ut id significet, „quod tu Maria in lucem edidisti“. Ita autem in verbis: „blüendiu gerte von Jesse“ Mariam alloquitur poeta; tollendum est „ein“, signum puncti ponendum post „vrî“ in versu sexto, comma vero in versu septimo post „schrîn“. — Porro XII. 7 per enclisin alias usitatam „ez“ est coniungendum cum „trank“ („diu trankz ûz“) et ita in hoc quoque carmine poeta legem non neglexit. — De versu septimi carminis decimi tertii nihil dici potest, cum haud dubie corruptus sit; deest syllaba, quam nisi arbitrio nostro temere usi restituere non possumus.

In quarto versuum iugo anacrusis novies deest; ambo ea ornati sunt versus in carminibus IX. X. XVI. XVII. — In carmine XII. versus octavus eam exhibet; quartus cor-

ruptus est, sed habuisse eam videtur. In versu octavo carminis XV. tollitur, si verbum „und" sine ulla necessitate insertum eicimus. In versu octavo carminis secundi nihil vitiosi habet anacrusis, cum in versu quarto per verba „reiniu arke" alloquatur poeta Mariam et ita hic anacrusis deesse possit. In v. quarto carminis XVIII. nomina propria licentiam excusant.

Omnibus his rebus consideratis dicendum est, in carminibus gnomicis quoque Marnerum accurate legem observare, ut versus qui sibi respondent in systematis praemissis aut habeant ambo aut omittant anacrusin neque eum neglegere hanc normam nisi sub eis condicionibus, per quas excusari hanc licentiam poetae optimi et in versibus componendis accuratissimi putent. Sequitur vero haud ita restrictas regulas Marnerus, ut in diversis eiusdem rythmi carminibus versibus eundem locum obtinentibus aut indat anacrusin aut demat. In primo tantum versuum iugo huius rythmi ubique adhibuit anacrusin; in tribus aliis iugis mox invenitur, mox desideratur; porro in versu nono quater deest, quattuordecies servatur; in versu decimo quinquies porrigitur, terdecies non extat et eodem modo in ceteris.

Restant sicut apud Waltharium in Marneri quoque carminibus nonnulli loci, quibus anacrusis ad leges artis metricae accuratae accommodata esse non videtur. Quae autem critica est carminum Marnerianorum condicio, diiudicare non possumus, quaenam res eius generis poetae ipsi attribuendae sint, quae scribarum neglegentiae. Ita III. 3. 6. („sô kumt der") anacrusis extat, quamquam versus qui huic respondent ea carent. — Porro VI. 3. 1. „ûz eime" [forsitan „ûzem" scribendum.] — I. 2. 4. „noh baz gevallet" (delendumne „noeh"?). VIII. 5. 9. ir angesiht (an statuendum, litteram „e" syllabae „ge" per syncopen tollendam esse? cf. p. 62.) — XI. 1. 19. sage an, wem mac ez sich gelîchen (sed forsitan „sage" scribendum, id quod in arsi ad unam syllabam corripitur). — XI. 2. 13. der den gernden teilte mite.

Desideratur anacrusis, ubi alii versus eam ostendunt, II. 1. 14. sprach der wahter in sorgen. — II. 1. 16. lît in

slafe verborgen. — II. 1. 20. vriunt unt vîende. — II. 3. 18. muot unt sinne. Haec omnia sunt carminis matutini, in quo Waltharium quoque maiore licentia uti supra dixi.

Quos huius generis locos confert carmen quartum IV. 1. 4. et IV. 3. 4. excusari forsitan ea de causa possint, quod initio sunt membrorum metricorum („Tanzen und springen.“ „swer si des wende.“)

Anacrusin bisyllabam Waltharius rarissime sibi concessit, et in carminibus tantum aetatis prioris; apud Marnerum proprie eius rei nullum aliud invenitur exemplum nisi carmen vicesimum tertium rythmi decimi quinti, ubi verbum „lüge“ nonnunquam anacruseos instar poeta praemittit. Qui praeterea versus hanc rem praebere videantur, aliter quoque quamquam non satis commode eum rythmo consociare possumus. Ita XIII. 4. 10. „under tûsend,‘, ubi littera „e“, quamquam non bene, per syncopen tolli potest; eadem in syllaba „zer“ XV. 8. 8. „diu zerbrach ez“ (cf. infra D. 3.); neque offendit XV. 16. 6. „gegen vrouwen prîses giht“. Dubium est, utrum IV. 4. 1. „ist ír herze ersteínet“ ita accentu metrico notanda sint, ut anacrusis bisyllaba statuenda sit annon. Huic mensurae, quamquam auribus nostris magis gratae, hoc quoque obesse videtur, quod hiatum indat dactylo medio. Potius verba legam: „ist ír herze ersteínet“, ita ut anacrusis monosyllaba sit, quamvis accentus verborum cum accentu rythmico male conspirans valde nobis displiceat; sed non abhorrent a talibus dactylis poetae medii aevi

C. De accentu ancipiti.

Illa lex quam supra attuli, e qua apud lyricos huius aevi paene ubique arses separantur thesi intermixta, haud raro magnam parat difficultatem poetis. Nam si in eodem verbo syllabam accentu acuto non notatam sequitur syllaba gravis eamque syllaba accentu prorsus carens tertio loco, aut tertia accipiat accentum metricum oportet, si prima eum habet, aut si secundae accentus metricus attribuitur, prima accentu verbi instructa metrico caret. Cum utraque res versuum componendorum rationem castam et puram non deceat, optimi poetae quantum fieri potest hoc tamquam

vitiosum fugiunt. Sed ipse iam Waltharius in carminibus gnomicis valde huic licentiae indulsit. Minime offendet te haec res initio versuum et eius generis annotavi e Marneri carminibus hasce:

II. 5. 8. singénde schrien.	II. 2. 2. duhté vil.
II. 3. 16. truogén ir.	II. 2. 17. troumét ûf.
II. 3. 19. wundén und heilen.	IV. 2. 3. nahtégal diu.
V. 2. 3. Meié die.	V. 2. 8. troeschél, lerche.
VII. 1. 6. dér walt.	IX. 4. 8. minne íst.
XII. 1. 10. Kristés lop.	XIV. 1. 15. sô bit ích.
XIV. 4. 1. Sûndér besich.	XV. 19. 20. singe ích.

Nam hos locos afferam non oportet, ubi initio verbum, quod proprie leviorem accentum habet quam proxima vox, arseos ictum accipit (cf. II. 2. 10.; sî sprach lîse. — ib. 5. diú gienc schoúwen. — VII. 2. 3. wíe zimt. — IX. 1. 7. dóch sol mán.)

Neque magis miraberis, quod nomina propria maiore cum licentia tractaverint poetae. Nam in poesi omnium populorum haec non facile concedunt legibus metricis et rythmicis eaque de causa non minus poetae Graeci et Latini ac Germani illorum temporum talia quovis modo versibus adaptaverunt; eodemque modo tractat Marnerus vocabula ex aliis linguis petita. cf. haec:

XII. 1. 9. St. Michahél.	XIV. 1. 1. Jesús der.
XIII. 1. 1. Arônen.	XIV. 1. 7. Jessé.
XIV. 13. 2. Górgon.	XIV. 9. 3. Davít (contra XV. 15. 15. Dávit).
XIV. 1. 9. Avé.	XIV. 13. 4. Anteús.

XV. 15. 14. Salomon, ita ut bisyllabum nomen sit, sed XV. 7. 5. Sálomónes. — XV. 15. 12. der wîse Adam.

cf. porro nomina propria carminis XIV. 18. — Omnino autem in his quoque rebus cum diligentia non parva versatur; immo nonnumquam, quae eius est doctrina, his verbis Marnerus accentum dedit legitimum et e lingua, cui debentur, petitum, quamquam a sermone usitato alienum.

In nonnullis versibus hic anceps nominum propriorum accentus te prohibebit, quominus statim versuum rectam mensuram cognoscas. Ita carm. XV. 7. 10. aut syllabae mediae nominis „Ásverus" ictum indere possumus aut primae ultimaeque (Asvérus — Asverús); sed anacrusin cum hic non

libenter desideres, mensuram alteram praeferes. Idem leges XV. 17. 1. Nabúchodónosór, si restitues formam decurtatam „künc" apud Marnerum et alios poetas non raram, aut corripies nominis primas syllabas „Nabuchodónosór,', si cum Hagenio formam longiorem recipis; sed magis placet illud.

Sunt autem porro nonnulli loci, ubi alia quoque vocabula in mediis versibus aut ita porriguntur, ut prima et tertia syllaba, haec quidem accentu carens, in arsin referantur, aut primae poeta locum theseos dat, secundae accentu debiliore notatae arsin. Ex his sunt:

XIV. 2. 9. wîsheité. XIV. 16. 10. ích vordérte (sed melius cum Wilmannsio scribendum: „ich ervordere", cum sententia praesens requirat). XV. 19. 19. odér. — XV. 20. 18. in schazzé verschort. (sed forsitan hic syllabis mediis correptis legendum sit: „des muot íst in schâzze verschort"). Similis generis sunt: VII. 1. 1 vroüt sích. — XIV. 16. 10. der ábent, díu naht. — XV. 8. 5. lûtérme (sed hic versus corruptus videtur).

Maxime offendit haec res in clausulis versuum. Ita XIV. 15 4. tierlîn (conferas XV. 8. 8. unhéil. — XV. 18. 5. unwért. — XV. 18. 15. unwîs.)

D. De arsibus et thesibus monosyllabis.

Requirunt artis metricae leges, ut et arsin et thesin syllaba efficiat una. Sola in anacrusi nonnunquam duas tribuunt poetae thesi syllabas, sed hic quoque perpaucis tantum locis id inveniri Hauptius MSF. 154. 21. exposuit; de Marnero conferas quae attuli p. 38.

Porro iam his temporibus dactylicos versus componere nonnunquam poetae conabantur. In Marneri carminibus dactyli inveniuntur: IV. 2, 3, 5, 6 bini; ib. 10. singuli; singuli VIII. 7. Videntur mihi extare dactyliin versibus quoque secundis, quartis, nonis rythmi quinti. quamquam hi quodammodo ad numeros trochaicos exigi possunt (cf. §. 4. III. sq.). Ceterum si ex his dactylis nonnulli duri tibi videantur et inconcinni, considerandum est, apud Waltharium quoque inveniri tales:

sît deich die sínne Walth. W. 8. 3. — ír rôter munt ib. 7. — ích sach hie 56. 1. — dáz gerte ib. 4. — éz was betwúngen ib. — rîcher got ib. 5. — úns hât der wínter geschadet über ál 59. 1.

Sed si omnes syllabae ita in versibus adhiberentur ut e legibus grammaticis et etymologicis pronuntiari deberent omnesque haberent eandem vim metricam, persaepe poetae neglexisse viderentur hanc legem, e qua monosyllaba esset arsis, monosyllaba thesis. Sed corripiuntur quodammodo quaedam syllabarum genera et cum non omnes poetae eodem modo adhibuerint elisionem, apocopen, alias res eius generis, quibus consociabant cum numeris verba ad metri normam non accommodata, nunc quomodo hoc in Marneri carminibus factum sit exponendum erit.

1. De elisione.

Si verbi duas aut plures syllabas complexi ultima littera „e" est accentu carens vicinique verbi primum locum vocalis tenet, illud „e" eliditur (cf. I. 1. 1. die kleine ameiz; ib. 3. kündecliche ir; et sic ubique.)

Minus bonum videtur et legibus bonae artis metricae non accommodatum, si Marnerus illud „e" illis quoque locis per elisionem tollit, quibus caesura metrica versum dividit (cf. VII. 2. 6. seite | umbe; facilius hoc ferendum X. 2. 2. sage | ist.)

Attamen haec regula haud raro apud Marnerum neglegitur, ita ut hiet versus (cf. I. 3. 13. varwe in; XI. 1. 5. beide armen unde rîchen; XII. 1. 4. schoene über schoenet; XII. 1. 5. âne ort [ita Hagenius; Parisiensis „ân" praebet, sed littera „e" cum Hagenio restituenda videtur]; XIV. 1. 14. wante unser; XIV. 7. 6. balsme in [sed hic dubito; caret quidem versus anacrusi, quam versus idem habet in systemate praemisso priore, si elisionem statuimus; sed durum esset, si in eodem verbo accentum ancipitem et elisionem neglectam sibi concessisset poeta. Forsitan vocabuli forma longior „balsame" sive „balseme" scribenda sit]; — XIV. 8. 11. daz rîche ist; XIV. 13. 8. machte ein. [si Hagenii lectionem recipimus; equidem scribam „unde" et accentu ita notasse putem poetam vocabulum „kristallîn", ut primae eum inderet syllabae et ultimae („krístallín" pro „krîstállîn"

Hagenii); id quod in hoc verbo e lingua Graeca petito molestum non est]; XIV. 16. 8. des hiure ist; — XV. 20. 9. wolde eteswaz. — XV. 22. 5. süeze ist. — XV. 42. 11. dû toete ouch.

Hiatum ante caesuram metricam non modo non molestum esse, sed potius e regulis metricorum bonorum iam dixi ideoque non offenderis XII. 1. 2. vrouwe und; XII. 2. 2. werlte ist; etc.

2. De apocope.

Littera „e" in fine vocabuli cuiuslibet posita tollitur nonnumquam ante consonantem verbi proximi.

Illud „e" quod mutum nominamus non aliter tractat Marnerus ac Waltharius; paene ubique sublatum est in verbis „ob, ab, an, od", raro servatum sicut „abe" XIV. 6. 9; prorsus sublatum est in formis declinationum post liquidas „r" et „l".

Illud „e", quod accentum gravem habet („tonloses e") persaepe deletum est in verbo „unde" cf. I. 1. 8. unt dînem; I. 2. 12. unt sleht; I. 3. 1. unt wisse etc. (sed „unde": I. 1. 7.; XII. 1. 1. etc.). — Porro in vocabulo „âne", XIII. 3. 16. ân schaden; num XV. 8. 12., dubium, cum in verbis „âne der liute" syllaba secunda et tertia corripi possit. — Praeterea paene ubique in voce „mensche": I. 2. 4. mensch nâch im; I. 3. 10. mensch mit.

Annotavi porro: XI. 3. 3. waer' doch; XIV. 1. 3 dû waer' ie; XV. 16. 16. waer' gewin (an correptio syllabarum?) — XV. 13. 19. waer' ieglich; ib. 20 waer' wol; XIII. 2. 18. rîche vor; XIV. 6. 9. rîche nû! XI. 1. 18. sêle von; XV. 42. 10. êre vater; XV. 13. 5. ubi Hagenius habet „vuort' her Reinhart", potius scribendum „dô vúorte Reínhart." — III. 3. 12. ubi Hagenius edidit „unminne noch ir", ita ut apocopen habeamus haud ferendam, vocabulum „ir" delendum esse puto; nam etiam ad unam corripi syllabae „[min]ne noch" non possunt.

Ultimo loco versus annotandi sunt, in quibus poeta apocopen adhibet in ipsis clausulis: XIV. 7. 3. wër'. — XIV. 7. 4. an. — XV. 18. 17. gevert' (:hert). — XV. 9. 7. var.

Itaque cum omnino Marnerus non temere versetur in apocope adhibenda, non tales ei attribues cum Hagenio: XV. 7. 15 „minnet' Davit": sed aut temporis praesentis forma usum esse poetam dices aut praeteriti priorem litteram „e" per syncopen tollendam. XV. 13. 12. „seit' der" Hg.; sed correptio syllabarum statuenda.

3. De syncope.

[Tollitur littera „e" accentu gravi notata in medio verbo.]

Prorsus neglegitur littera „e" accentu carens, si separata est ab alia „e" accentum gravem gerente per simplices liquidas (l, n, r).

cf. I. 1. 3. samnet; I. 4. 13. samne (sed I. 4. 13. samenunge et I. 4. 3. offenunge); XIV. 1. 6. wandels vrî; XIV. 5. 5. wundert; XIV. 6. 9. nimt; XIV. 7. 1. balsamt; XIV. 7. 5. suln; XIV. 13. 13. sult; XIV. 1. 14. zesamne; XIV. 14. 13. kumt; XIV. 15. 16. suln; XIV. 17. 1. mittern; XV. 8. 10. geborn etc. Id ita usitatum est, ut non dubitet poeta formas ita decurtatas adhibere in versuum clausulis. [XV. 9. 11 : 12 kümt : vrümt; XV. 10. 15. wern : gern etc.]

Praeterea „e" mutum praecipue per syncopen tollitur in verbis „aber" et „oder" cf. II. 3. 7. er rief aber lûte; VI. 1. 7. oder ein (an correptio syllabarum in arsi?); XIV. 17. 7. in thesi: „dar oder dan"; dubium utrum syncope an correptio syllabarum in arsi: XIV. 8. 16. wider.

Porro hic afferendum est, vocalem „i" quoque tolli in nonnullis vocabulis per syncopen: id paene ubique fit in „maniger". II. 3. 15. vil manigen pîn; VII. 1. 8. vil manigen; XI. 1. 6. ez bindet manigen; XI. 1. 15. vil manigen gouch; XIV. 1. 8. maniger vroude; porro XIV. 7. 12; XV. 9. 4.; XIV. 16. 3. etc.

Usitatissimum id est praeterea apud Marnerum in vocabulo „künic". XVI. 3. 13. künge; XIV. 6. 15. künges; XV. 7. 5. künges trôn; XV. 17. 1. der künc; XV. 20. 20.; ib. 4 etc. imprimis id durum videtur XVI. 8. 3., ubi in eodem vocabulo ultimum „e" per elisionem tollitur: „nach künige als ê".

Similis generis sunt: XIV. 12. 12. habches; XI. 2. 1. hoefsche; [XII. 1. 3. heiligen; XV. 42, 10. die heiligen;]

XV. 18. 11. hübescheit; XV. 11. 12. Roemsche: num XII. 1. 12. „himelschez" scripserit Marnerus diiudicari non potest, cum verba corrupta sint.

Syncope porro adhibetur in verbis per syllabas „öew, öej, üe" derivatis. IX. 3. 8. vröuwe; XIII. 2. 1. blüendiu; id. XIV. 2. 7.; XV. 16. 12. Similisque naturae sunt, quod XIII. 3. 4. „stahelkiuwender" pro verbo tetrasyllabo et XIV. 8. 4. forma „schriwen" pro monsyllabo poetae est.

Ultimo loco nonnulli versus annotandi sunt, in quibus formae declinationis syncopen ostendunt. II. 3. 11. pfands iht muote; XIV. 2. 10. sîns gewaltes; XIV. 2. 12. sînr erbermde; XIV. 2. 16. dînr erbermde; [II. 1. 14. der wáhter in; XV. 18. 6. marder in (?); XIV. 12. 16. salamander? XIV. 11. 3. alz; XIV. 15. 7. iegelichz.]

Praeterea nonnunquam una cum vocali „e" tollitur consonans. Tales formae valde usitatae sunt apud Marnerum etiam in clausulis versuum. ita I. 1. 5. lît; ib. 11 : 12 gîst : lîst; XIV. 4. 2 : 6 lân : gân; XII. 1. 3. gît etc.

Syncopen vocalis in syllabis praefixis „be" et „ge" Waltharius in carminibus tantum posterioris aetatis sibi concessit; in Marnerianis persaepe diiudicari non potest, utrum syncope statuenda sit an correptio syllabarum; sed restant nonnulli loci, quibus syncopen quodam modo duram adhibuerit.

IX. 2. 4. unt gesigent; XII. 1. 4. die genâde; id. XIV. 2. 16. etc.; XII. 2. 13. gewahsen; XIII. 2. 17. dâ genuzzen; [VIII. 5. 9. anacrusis ferenda est ideoque nulla syncope statuenda.] Sed vix ferri possunt: XIV. 4. 16. erteile ich biderben (nec melius quomodo versus legendus sit intellegi potest, si illud vocabulum hic accentum habere in prima syllaba (biderben) statuimus; XV. 8. 8. diu zerbrach ez (forsitan in pede primo accentum ancipitem syllabis dandum esse, in altero inclinationem vocabuli „ez" statuendam recte dicamus: diu͡ zérbrachz, dáz . . .); XV. 42. 12. valsches geziuges.

4. De correptione syllabarum.

Si sequitur syllabam brevem accentu notatam „e" mutum, correptio fit harum syllabarum, si ambae in arsi

positae sunt; in thesi corripi possunt, si haec littera ab alio „e“ accentu carente per consonantem simplicem separata est.

a. In arsi: I. 3. 8. ir namen, ir louf; I. 3. 11. himel zer; I. 4. 1. gegen der; I. 4. 12. lebent in; III. 2. 12. ez ist vor tage niht; VII. 1. 4. gegen der; VIII. 5. 3. tugenden vol etc. etc.

b. In thesi: . 1. 10. dórt gegen dînem! . 1. 12. mélwe begrâben (nam per syncopen sublatam esse litteram „e“ in syllaba „be“ propter cacophoniam statuere vix possumus.) I. 2. 8. wîte ze breit (correptionem hic facilius accipias quam proclisin vocabuli „ze“.) XIII. 3. 15. wîte, der erde (nam „e“ articuli pro „e“ muto est); XIV. 6. 3. iegelíchem; XIV. 14. 4. swaz vier beín hete, des; XV. 10. 12. wírdet híe ze der wérlte; VII. 2. 7. mích gegen ír (sed versus mensura dubia); XV. 20. 15. gérne der; XV. 24. 10. gegen vriundes.

Sed multis locis dubitari potest, utrum correptio syllabarum statuenda sit an syncope litterae „e“ in syllabis praefixis; sed praefero illam. Ita I. 4. 5. ménsche vernim; XV. 14. 10. náhe verlorn; XV. 14. 19. danne genuoc; XV. 16. 9. schame geschiht; XV. 42. 1. welle genesen. II. 1. 16. in slafe verborgen.

In versu I. 3. 3. „vor ime verbirget“ correptio aut in arsi aut in thesi statui potest; excidisse „e“ per apocopen post liquidam „m“ non credam.

5. De inclinatione.

a. Enclisis. [Vocabula minora prioribus affiguntur.] Id fit apud Marnerum in vocabulis: „ez, es, en“. IV. 4. 5. mirz; VIII. 5. 5. ins; IX. 2. 12. sin enwellent; XIV. 13. 16. slahetz; XV. 8. 8. brachz (?); XV. 13. 3. d3 lêrte em; XIV. 2. 9. 10 u. 12 dú mânen (rarius invenitur haec pronominis inclinatio); [XI. 2. 12. in weiz.]

b. Proclisis. Coniunguntur vocabula cum proximis; apud Waltharium usitatum in articulo; eius rei exemplum apud Marnerum non extat, sed saepe praepositionem „ze“ ita adhibet. I. 4. 12. zewen; VIII. 4. 7. zallen; IX. 4. 4. zuo zin; I. 2. 6. uns zenbinden; XII. 2. 8. zallen

zîten; XII. 2. 13. zeinem; XIV. 8. 3. zuo zir; XV. 19. 10. zeinem; XV. 13. 14. zeiner.

Qnodam modo enclisis cum proclisi coniuncta est simulque tollitur consonans articuli XIV. 1. 16. zen vrouden; XIV. 4. 8. zem tode.)

6. De synaloiphe.

Corripiuntur duae syllabae duorum verborum, quorum alterius prima littera vocalis est, ultima littera vocabuli praecedentis aut vocalis esse potest, [huius generis e carminibus Marnerianis annotavi IV. 4. 10. sô ist; XII. 1. 5. dá ist; porro XV. 7. 2. „der manna ein voller schrîn", hoc quidem durius videtur, sed excusatur per verbum ex aliena lingua petitum.]

Potest vero etiam consonantem ultimo loco vocabulum prius habere, quae in synaloiphe tollitur, [unum eius rei inveni in carminibus Parisiensibus exemplum XI. 2. 12. in weiz.]

---

§. 4.

Annotationes criticae et exegeticae.[1]

I.

1. 1. Merket an, die kleine . . . . Hagenius verba „an" et „die" signo quod comma nominamus interposito separat; id quod non probandum. Putavit sane, „die kleine ameiz" nominativi esse formam et verbum „merket an" ita adhibitum, ut rem obiectam habeat nullam. Sed praeterea quod huius significationis exemplum non extat in thesauro verborum Germanicorum medii aevi a Beneckio incepto, a Müllero et Zarnckio aucto et perfecto, — nam quem lau-

[1]) Dare nolui in his annotationibus commentarium perpetuum ad carmina Marneri illustranda hic non utilem. Has solas res elegi, quae gravioris momenti mihi esse videbantur et ad rythmorum structuram cognoscendam idoneae.

dant Waltharii versum Lachm. 31. 47 = Wilm. 83. 1 „ich habe gemerket von der Seine unz an die Marne“ aliter se habet — „die“ nullo modo potest esse nominativus articuli generis feminini, qui apud Marnerum ubique „diu“ est. Habet igitur illud „an“ praepositionis vim accusativum regentis; tollendum interpunctionis signum et verba interpretanda: Animos advertatis ad parvam formicam etc. sicut gut. Gerh. 53. 81. „sie begunden merken gar mit den ougen an mich.“

v. 12 et 13. Idem v. 12 post „lîst“ aliud interpunctionis signum maioris vis esse ponendum puto, quia versus 13. pronuntiatum complectitur cum priore grammatice non coniunctum. Nam haec est sententia verborum proximorum: „Necesse est officium tuum diligenter praestes, ut mortuum te servare possis apud dominum tuum summum, si animam deo daturus es, sicut hic regi vectigalia pensitare solemus, et si sepultus es in terra misera. Itaque hoc agas . . . . “ Non quidem generis dicendi boni et concinni est, ut verba: „unt dû in armem melwe begraben lîst“ ita postmittat poeta sententiae; sed haec cum sequentibus coniungere, ad quod Hagenii interpungendi ratio facile perducat legentes, prorsus ineptum videtur, cum qui iam sepultus sit efficere ut anima intret paradisum iam non possit.

2. 12. davon uns . . . . unt slegt der hamer. Potest poeta his verbis nihil aliud velle quam significare per tropum dei maximi iram poenasque severas, quibus hominum vitia afficiantur, ex quo tempore Adamus pietatem praeceptaque divina neglexerit; sed nescio nonne forte in hoc versu interpretando respiciendum sit ad ea quae Grimm p. 166 mythologiae Germanicae offert. Verba facit hoc loco ille vir de deo qui „Donar“ sive „Thôr“ apud veteres appellatus est deque malleo illius celebri per quem facinora omnia sua perpetravit; pergit ita vir doctus: quod malleo isto sicut fulminis ictu res percuti creditae sint itaque in exsecrationibus pro verbis „Donar te perdat“ („Donar schlage dich“) dicere soliti sint „malleus te percutiat“, postea memoria veteris dei sublata usos esse homines verbo „hamer“ pro notionibus mortis sive diaboli: etiam nunc trita esse apud

plebem Germaniae septentrionalis vocabula „dat di de hamer“ „der hamer sla di“, in quibus pro malleo diaboli notio adhiberi possit; omnes autem huius modi locutiones a deo mallei magistro derivandas esse. Itaque quamquam non temere hoc uno exemplo usus deprehendi hic vestigia superstitionis veteris statuere ausus sim, forsitan apud alios quoque auctores medii aevi plura inveniantur exempla adhuc neglecta, si quis accuratius rem perscrutari velit.

4. 1. „klage“ significat et querimonium, luctum et accusationem (Wehklage, gerichtliche Klage); eodem modo „süenen“ (in lingua Germanica priorum saeculorum „sônjan“) et placandi, mitigandi et iudicandi habet vim. Ita interpretari possumus hos versus aut: „iam continget die iudicii, ut deus omnibus luctibus finem faciat“ aut „ut iudicet quaecunque tibi opprobrio vertent alii“. Sed e tota carminis huius natura magis verisimilem hanc interpretationem crediderim. Ubique enim de peccatis agit poeta, quae homines commiserint, ita ut optime dicat, mox adventurum esse tempus, quo rationem omnium rerum a nobis gestarum iudex petiturus sit. Si alteram amplectimur, de querimoniis quodammodo iustis poeta loquitur, homines malis rebus oppressos conqueri cum deo de fati iniquitate et eius generis querelae non tam aptae videntur ad sententiarum connexum severarum et acrium, quibus ne nimis sera poenitentia peccatores subeat poeta admonet.

De metro iam dixi, non in quinque partes hoc carmen esse dividendum, sed etiam hic trichotomiam statuendam. (cf. p. 39.) Schema est hoc:

Ia.	1. a ⌣ 4	Ib.	4. c ⌣ 4
	2. a ⌣ 4		5. c ⌣ 4
	3, b ⌣ 7 ⌣		6. b ⌣ 7 ⌣
II.	7. d ⌣ 4		11. f ⌣ 4
	8. e ⌣ 7 ⌣		12. f ⌣ 7
	9. d ⌣ 4		13. b ⌣ 7 ⌣
	10. e ⌣ 7 ⌣		

Quod in primo primae strophae versu anacrusis omissa est, id nos non offendit, cum primum verbum sit imperativus

adhortationis. Ceteris in rebus bene et accurata huius carminis strophae compositae sunt.

II.

1. 2. schône . . Significatio „clari, lucidi“ formis adiectivi haud dubie attribuenda est; sed adverbio eandem in sermone medii aevi non iam inesse Müllerus putat. Forsitan hic versus documento esse possit, non prorsus amisisse adverbium hanc vim. Laudat Müllerus ipse e Reinh. Fuchs. v. 735 „vil schiere ez schône tac wart“, sed annotat, transvertendam esse ibi vocem „vollständig“. Nostro loco, si hanc vocabulo volt impertire sententiam, non bene per „vil“ augeri potest. Ita hic quoque dicendum ex nostro loco solo affirmari non posse, retinuisse nonnunqam etiam adverbium veterem adiectivi significationem, sed in thesauro addendum esse hunc versum; forsitan illustrari possit aliis exemplis adhuc neglectis.

Dubitari potest, qui numeri sint primo et septimo versui huius rythmi. Verba sunt haec:

1. 1. ich künde in dem done	7. ich hoere ûf den zwìen
2. 1. diu rede ein ritter	7. si sach vil ungerne
3. 1. der ritter vil suoze	7. er rief aber lûte.

Hagenius omnibus tres attribuisse arses videtur, sed si id probas, in primo secundae strophae versu („diu rede ein ritter“) thesin primam sublatam esse dices et primum tertiae strophae versum ita accentu esse notandum ut verbi „ritter“ posterior syllaba habeat acutum, prior gravem; id quod non facile concedes. Porro ceteri versus cuncti initio ancipitem accentum ostendunt. (ích hoere ûf; ích künde in; dér rittér; ér rief áber.) Sed in difficultates etiam maiores incides, si monometrum iambicum hic extare acatalecticum putas. Facile quidem huic metro se accommodant versus 2, 1 (diu rede ein ritter) et 3, 7 (er rief aber lûte), si syncopen pateris littera „e“ in „aber“. In versum primum strophae tertiae, quamquam apocope litterae „e“ in vocabulo „ritter“ per geminatum „t“ scripto forsitan ferri possit, formam „riter“ recipere possumus, ut tritae syncopes rationem habeamus; nam quin haec forma non raro inveniatur dubitari

non potest, etsi in versuum clausulis vitatam eam esse a poetis Lachmannns ad Iw. v. 42 annotat. Porro non audaciae nimiae videatur, si quis versum septimum strophae secundae ita emendet, ut vocabulum „vil“ tollat, quod saepe per neglegentiam scribarum falso in textum irrepsit. Sed praeterea corripiendae sunt in prima stropha praepositiones „in“ et „ûf“ cum articulo, quam licentiam sine gravibus argumentis poetae vindicare non debemus. Et Marnerum huic libertati nimis non indulsisse iam supra exposui (cf p. 45 et 46. Itaque cum neque huic neque illi mensurae versus se subiungant, dactylos esse statuendos censeo. Si quis miratur, quod unus dactylus in hunc rythmum irrepserit, carminibus proximis accurate tractatis cognoscet, haud dubie Marnerum singulos dactylos ad carmina exornanda adhibuisse, et ita mecum versus leget, nisi constituere volt rythmum ab arte Marneri alienum:

ich künde in dem dône	ich hoére ûf den zwîen
diu réde ein rítter[1])	er ríef aber lûte
der ritter vil suoze	si sách vil ungérne.

cf. quae attuli de dactylis Waltharii in p. 40.

Sic igitur schema huius carminis constituo:

Ia.	1. a ⌣ 2 ⌣	Ib.	7. e ⌣ 2 ⌣
	2. a ⌣ 2 ⌣		8. e ⌣ 2 ⌣
	3. b 2		9. b 2
	4. c ⌣ 2 ⌣		10. f ⌣ 2 ⌣
	5. c 2 ⌣		11. f 2 ⌣
	6. d 3		12. d 3
II.	13. g ⌣ 2		18. il ⌣ 2 + 1 ⌣
	14. h ⌣ 3 ⌣		19. l ⌣ 2 ⌣
	15. g ⌣ 2		20. m ⌣ 3
	16. h ⌣ 3 ⌣		21. m ⌣ 3
	17. i ⌣ 2 ⌣		

Metrum magna cum arte compositum est: non solum systemata praemissa ita poeta exigit, ut illorum utrumque rursus in duo membra dividat sed etiam in epodo quattuor primi versus aliud systematum praemissorum efficiant iugum.

---

[1]) Trochaeus in rythmis dactylicis saepe pro dactylo est.

Si quis igitur ita velit rythmi structurum significare: I a (1—3) II a (4—6) I b (7—9) II b (10—12) III a (13—14) III b (15—16) IV (17—21), id certis de causis refutare non possumus, quod neque cantus modulos cognovimus nec sicut in carmine primo ultimus epodi versus cum ultimis systematum praemissorum clausulis similibus coniunctus est. Sed praefero hic quoque trichotomiam.

Ceterum cum paene ubique poetae sententias intra eadem membra metrica contineant, miraberis, quod hic 3. 12 „der ritter neic || der vrouwen sîn" epodus incipit in medio pronumtiato.

Anacrusin omissam esse vv. 2, 1, 14; ib. 16; ib. 20; 3, 18, cum habeant eam versus qui his respondeant ceterarum stropharum iam attuli. Waltharius quoque in carmine quod scripsit matutino non accurate hanc rem observavit.

III.

2, 1. der wahter schiet oben ûf die zinne . . . . Hic vocis „scheiden', usus, ut locus quem petit ille qui discedit adiungatur ad verbum praepositione praemissa, in nostro sermone non iam extat neque in dicendi genere medii aevi ita frequens est. Annotantur in thesauro s. h. v.: Parz. 420. 28 „dâ er von Wormz gein Hiunen scheit" et e carmine Passionale inscripto, quod cum vita Mariae res apostolorum, Johannis baptistae, Magdalenae coniungit vers. 9. 38: „hie mit ieglicher ze hûse schiet."

2, 5. in der wîse viençc er an . . . Dicere volt poeta, custodem cantasse carmen suum ad modulos celebris cuiusdam carminis, cuius primus versus sit: „saelde ir beider mâze wielt." Itaque etiam primus versus cantus custodis („Troie wart zerstöret ê") eosdem numeros habet. Ambo exhibent quattuor arses sine anacrusi cum clausulis monosyllabis. Hoc carmen utrum servatum sit annon et cuius auctoris, dicere non possum; quoad ipse poetarum eroticorum carmina cognovi, in hunc versum non incidi neque in indice ab Hagenio editioni suae addito, ubi carmina servata secundum clausulas disponit, haec verba inveni. Ceterum non raro afferunt ita poetae huius temporis versus ab aliis

poetis compositos. Imprimis e carmine Ulrici Lichtensteiniensis „Frauendienst“ inscripto in mentem mihi venit res paullo maioris suavitatis et amoenitatis, quam ceterae huius operis ridiculi, quo nullum aliud melius nos docet, quas in res ioculares et futiles equites et poetae erotici posterioribus temporibus illapsi sint. Ulricus cum sub Veneris specie per terras vagetur, puerum praemisit, nuntiaturum omnibus, Venerem esse adventuram omnesque quomodo vere et legitime feminis placere possint docturam. Is cum consecutus Ulricum prope Malani vicum removere velit a via, ut clam ei responsum det, incipit Waltharii carmen: „Ir sult sprechen willekomen, der iu maere bringet, daz bin ich“, quo carmine „vehementissime animum suum tactum esse“ Ulricus addit.

Ut recte huius strophae sententiarum connexus intellegatur, notandum est vocabulum „noch“ hic significare, duas res invicem sibi oponi (nos ad hoc exprimendum „dennoch“ utimur): quamquam Troia prius propter amorem deleta est, quamquam Tristandus propter amorem Isoldae tanta mala perpessus est, nihilo secius etiam nunc habet (id est: tenet, occupat) amor virum dignum, qui a feminis gratias quaerat. cf. Nib. Z. 270. 3[a]. swie starc und swie küene der von Tronege sî, noch ist verre küener, der im da sitzet bî; ib. 108. 1[a]: swie groz ir hochgeziten bî Rîne was bekant, noch gap mani hie den helden rîcher gewant.

Epodi tertii sententiarum, connexus quodam modo intricatus, hic fere sit: „amor gaudia habeat; invidiae reddatur invidia. Missum facias eum, amor“! id est: „opus est, femina amans amplexus suos relaxet, ut eques discedere possit“. Id quod proxima quoque verba dicunt: „vincula brachiorum tuorum remittas sicut decet; tempus prodit (id est: si diutius tempus teritis, aurora iam adveniet et vos prodet); proditio aderit, quae raro tantum quiescit“. Verba proxima difficulter in linguam Latinam transverti possunt; sensus est: id quod nocet amori, invidiae prodest; nam „gelde“ hanc quoque pecuniam significat, quae poenae instar alii solvenda est.

In eodem versu, „noch“ neque ad sententiam satis aptum est nec numeris convenit, cum neque apocopen litterae

„e“ in voce „unminne“ ferre possumus neque putare corripuisse poetam syllabas „e“ atque „noch“ ad unam; sed nescio, quomodo vitium sanandum sit. In versibus 2 et 5, qui sibi respondent in systemate praemisso primae strophae, thesis prima consulto omissa videtur. Schema carminis hoc est:

Ia.	1.	a ⌣	2	Ib.	4.	⌣	2
	2.	b	4		5.		4
	3.	c	4		6.		4
II.	7.	d	4		10.	f	4
	8.	d ⌣	7		11.	e ⌣	2 ⌣
	9.	e	3 ⌣		12.	f	4
					13.	f ⌣	4

IV.

3, 6. vergâhen. rem propter praematuram festinationem non assequi. Thesaurus hunc solum locum annotat ad significationem huius verbi transitivam statuendam, cum „sich vergâhen“ saepius inveniatur.

4, 5. „verkêren“ haud dubie hic significat opprobrio alicui aliquid vertere, („jemand etwas übel auslegen“); Müllerus s. h. v. in thesauri editione hunc locum praeterit; ex aliis afferuntur: Vrid, 73. 25. manger lebt mit êren, dem ich daz hoer verkêren. — Walth. 33. 19. wer mir daz verkêren müeze. — quomodo haec significatio paullatim e propria nata sit, apparet MS. 1. 80. fürhte er mirz verkêre zübel.

Huius rythmi versus qui sibi respondent in systematis praemissis secundi et quinti, tertii et sexti haud dubie e dactylis constant; sed non facile est diiudicatu, utrum primi quoque et quarti numeros dactylicos complectantur an iambi sint. Legi sane plerique ita possunt, ut rythmum iambicum sequantur:

Sic 1. 1. Ich wil áber síngen
2. 4. Nóch lebe ích mit leíde
3. 1. Stüende in mîner hénde
4. 1. Ist ir hérze erstéinet
4. 4. Ich bin dér si meinet.

Versus 1, 4 quidem („tanzen und springen") una syllaba decurtatus est; sed vix emendatio est, si „unde" recipis, quae forma haud dubie etiam apud Marnerum non paucis locis servata huic quoque versui tripodiam reddit iambicam acatalecticam. In versu 2, 1 („nû vrŏut sich diu heide") non optima est structura numerorum, sed ferri potest. Magnopere autem offenderis eo quod versus 3, 4 (swer sî des wende) thesin omittit primam, cum non solum qui eundem habent in ceteris strophis locum, sed etiam qui huic respondet in primo membro systematis praemissi, iustum thesium numerum porrigant neque ulla afferri possit causa, quae hanc licentiam hic excuset.

Contra si e dactylis versus hos constare statuimus, bene metro se accommodant, ita ut anacrusin praemittant:

1. 1. ich wíl aber síngen.
2. 1. nû vrŏút sich diu heíde.
2. 4. noch lébe ich mit leíde.
4. 4. ich bín der si meínet.

Versus quidem 1, 4 (tánzen und spríngen) et 3, 4 (swér si des wénde) anacrusi carent; sed id in carmine eius generis eo minus vitiosum est, quod uterque versus primus est novae carminis partis, (uterque est primus alterius membri systematis praemissi). Porro in vs 3, 1 „stüende ín mîner hénde" et 4, 1 „ist ir herze ersteínet" nobis quidem verba accentu grammatico vitiose neglecto numeris subiecta esse videantur: sed tales dactylos poetae medii aevi sibi concedebant (Walth. 59: úns hât der wínter geschadet über ál.) Si quis velit, ut accentus grammaticus melius cum metrico congruat, ita legere versum 4, 1: „ist ir hérze ersteinet", monendus est, ne praeterea quod hiatus non placet temere anacrusin bisyllabam poetae vindicet, cuius rei aliud exemplum probatum apud eum non inveni.

Itaque cum nullus versus mensurae dactylicae repugnet, cum proximi systematum praemissorum versus prorsus sint rythmi dactylici metrumque tale bene conveniat ad haec carmina in saltando cantata, totum systema praemissum e dactylis constare dices.

Dactylici denique rythmi est etiam epodi ultimus versus,

quamquam versus 4, 9 „wil sî so ist mîn trûren verborgen", aures nostras valde laedit (cf. Walth. sît deich die . .)

Ergo hoc modo constituo huius carminis rythmum:

Ia. 1. a ⌣ 2 ⌣ Ib. 4. a ⌣ 2 ⌣
2. b ⌣ 3 ⌣ 5. b ⌣ 3 ⌣
3, c ⌣ 3 ⌣ 6. c ⌣ 3 ⌣
II. 7. d 6 ⌣
8. d 6 ⌣
9. ee ⌣ 1 ⌣ + 3 ⌣

V.

3, 5. widerwinne. Thesaurus sub voce habet haec: „widerwinne? adj? ich tuon ir mit rede gewalt, daz ist ir widerwinne (: unminne), zuwider (?) MS. 2. 167 b; MSH. 2. 238 b". — (Utraque horum numerorum series ad eundem nostrum versum respicit, ita ut prior eum signet ex editione Bodmeriana poetarum eroticorum, altera ex Hageniana). — Sed non video cur hoc solo loco usi adiectivi formam statuere debeamus, alibi non inventam, cum interpretari possimus, si etiam hic substantivae esse formae illud vocabulum nonnunquam extantis putamus. Nam haec est versuum sententia: „maledicere volo amori, cum quodammodo laudi suae obtrectet; nam hac de re saepe in malas res incidit, quod pervigilat, cum dormire melius sit. Et si talia dico, re vera non amori maledico, contra in illum convicia confero, in adversarium amoris qui modum et continentiam neglegit et amor malus appellatur". Huius substantivi formam veterem „widarwinno" Graffius affert in thesauro suo antiquissimae linguae Germanicae. Ex auctoribus posterioris aetatis laudat Beneckii thesaurus Urst. III. 61. die gotes widerwinnen. — Nith. 57. 27. mîn widerwinnen mit dem tievel sint behaft. — L. Alex. 2531. W. nû wir so leide getûn unsen widerwinnen; cf. Nib. Z. 22, 3. 23, 7.

Ceterum facilius sententiarum connexum intellegemus, si hoc esse carmen amoebaeum („ein wechsel") cum Wilmannsio statuimus; permovere volt quilibet adulescentem, ut amori se dedat; sed ille id recusat de inconstantia amoris questus („minne ist unstaete bî ff."). Stropham secundam

spuriam esse et posterius carmini immixtam Wilmanns putat; aut potest eadem prius primo loco fuisse et prologi instar strophis amoebaeis praemissa.

Hoc quoque carmen eundem in investigandis dactylis laborem nobis parat; est enim hac de causa non parva crux, quod persaepe eidem versus dactylos continere videntur, eidem si secundum regulas supra tractatas syllabas quasdam corripimus, ad iambicum aut trochaicum rythmum redigi possunt, resque eo magis dubia est, si carmen miscere dactylos cum aliis pedibus apparet. Hic quidem haud difficulter dactyli cognoscuntur:

1\. 2. mit víure diu érde und diu zit.
4\. sîn stíure dir állez daz gît;
9\. dâ réiget der dórn an daz zwî.
2\. 2. in tóuwe stênt blúomen unt grás
3\. 2. sî swáchet ir êren ein teil.
4\. da wáchet si ûf ir unheíl
9\. da réiget der dórn an daz zwî
4\. 2. diu mínne vür gúot von dir nímet
4\. der sínne diu minne gezimet.
9\. selh énde der mínne ist bereit.

[Statui caesuram et clausulas similes internas („Innenreime") post verba „viure, stiure etc."; si quis versum unumquemque in duos separare volt, restant in unoquoque versu singuli dactyli.]

Itaque cum ín ultimis versibus epodi et utriusque membri systematis praemissi haud dubie dactyli extent, hos quoque esse dactylos concedes quamvis claudicantes;

2\. 2. der oúwe daz sí trûric was
9\. und ánder gevügel süezen schal.
(Walth. geschadet über al.)

Sed diiudicari non potest, utrum septimi versus dactylos an tripodiam iambicam acatalecticam comprehendant.

Aut leges: minne íst unstáete bî (bis in vs 1 und 3)
doenét diu náhtegál
liep wirt niht ánders léit,

concedesque poetae, quod initio versuum accentus grammaticus cum metrico non conspirat; aut leges:

minne ist unstaéte bî.
doénet diu náhtegal
liép wirt niht ánders leit.

Equidem praefero hanc mensuram; sed qui iambos mavolt refellere non possum. In versu 1, 6 thesis prima omissa est (dû bíst der . . .). Schema est:

Ia.	1. a ⏑ 3 ⏑		Ib.	3. a ⏑ 3 ⏑
	2. bc ⏑ 1 ⏑ + ⏑ 2			4. bc ⏑ 1 ⏑ + ⏑ 2
II.	5. d 7 ⏑			8. f ⏑ 3 ⏑
	6. d 7 ⏑			9. fe ⏑ 1 ⏑ + ⏑ 2
	7. e 3			

VI.

1, 2. er ist sîn reht . . . vocabulum „reht“ in sermone medii aevi omnia comprehendit, quae cuiusque sunt e natura rerum, e legibus latis aut moribus hominum, itaque primo loco supremam normam et regulas significat, e quibus quid deceat cognoscimus; deinde ius et fas, leges omnes et praecepta complectitur, et cum per medium aevum hominum ordines, e quo habebant genus et dignitatem diversam, aliis uterentur legibus et praeceptis, ad hanc ipsam diversitatem haec vox respiciebat et ita non minus officia continet quam iura cuiuslibet hominis, ea quae petere et ea quae praestare debet. Sic denique ad ipsos hos ordines hominum notandos adhibetur et per tropum modi et rationis notionem continet. cf. Iwein 20: juncherren unde knehte gecleidet nach ir rehte; Iw. 30. (ubi de fonte miro poeta verba facit:) noch hoere was sîn reht sî. „quae sit natura illius fontis.“ — Vrid. 5, 14 vische, würmel, vogele hânt ir reht baz dan wir, ideoque in nostro versu: si erinacei spinas portant pellibus suis, id non mirum est; nam talis est eorum natura, id est eis proprium. (cf. de hoc vocabulo quae Zarnckius dixit in thesauro s. v.)

1, 6. tump man, nim dich an. Verbo „ich nim mich an“ raro utuntur poetae, sed ubique ita, ut adiungatur in accusativo aut genetivo res obiecta. Ita ut ad nullam rem verbi actio transeat, loco uno tantum e versibus a thesauro

s. v. laudatis adhibetur; „als ich mich an genomen hân" Wig. 3212; id quod interpretantur: „wie ich über mich genommen habe". Nostrum locum eo minus praeterire debent, qui parabunt novam thesauri editionem, quod ibi vocabulum „wie" quodam modo ad significationem verbi illustrandam additur, hic ne minimum quidem rei obiectae vestigium subest. In nostro sermone ita optime exprimemus verbi sententiam, ut praepositioni demus vim maiorem et graviorem: „nimm dich zusammen! raffe dich auf!"

2, 2. Necesse quidem non est putemus has tres strophas unius carminis partes esse; attamen nihil obstat, quin hoc faciamus, cum sententiae omnium optime inter se connexae sint. Primus versus in prima stropha exhibet quinque arses clausulamque bisyllabam sine anacrusi; eadem qui huius locum habet in secunda stropha versus, sed ita ut post primam arsin thesis sequatur. Id quamquam nonnullis locis etiam apud lyricos invenitur, hic tamen per neglegentiam scribae thesin sublatam esse arbitror, cum verba: „dem beine hazzet kunt gesellen" non satis commode e legibus grammaticae interpretari possimus. Minus molestum esset, si poeta structura uteretur: „ich hazze dir ein dinc", „gümne dir ein ding nicht", quamquam etiam hoc in Beneckii thesauro exemplis aliis non defensa; sed „ich hazze einem dinge dich", ita ut accusativum personae et dativum rei poeta adhibeat, audacissimum videtur et insusitatum dicendi genus: ideo praepositionem „bî" dativo „dem beine" esse praeponendam censeo et ita versum hunc strophae praecedentis primo versui aequandum.

Ceterum etiam aliis difficultatibus haec stropha intricata est. Quid sibi voluerit Hagenius verbis „mîn" et „dîn" in quinto versu per comma separatis, plane ignoro. Nullo modo ita verba mihi aptam sententiam praebere videntur et vereor, ne ipse sciverit, qua ratione intellegenda sint. Commatis signo deleto haeret interpretatio imprimis in verbo „gelîchen": derivatum esse potest a vetere „gilîhhen" (c. dat. gleich sein, gleich kommen) aut a verbo „calîhhan, kalîhchan" (gleich machen, gleich stellen; refl. gleich sein, gleichen; absol. c. dat. es gleich thun) aut a verbo „lîchên,

gelîchen“ goth. galeikan (gefallen, gefällig erweisen). Quod verbum hic extet, pro certo dici non potest; quodammodo omnia sententiae se accommodant, sed optime illud, quod ultimo loco attuli. Utique opus est, e verbis „mîn Nein“ et „dîn Jâ“ alterum iugum nominativi sit forma, alterum dativi. Utri has, utri illas partes attribuamus, ad sententiam non multum refert. Si „mîn Nein“ dativum esse statuimus, pluralis numerus porrigitur cum formae declinatione privatae „mîn, dîn“ pro „mînem (mîneme, mînme), dînem (dîneme, dînme)“ non reperiantur, extent nonnumquam in dativo pluralis. Sensus igitur verborum hic fere sit: „Mein Freund sollst Du sein, wie auch immer meinem Nein deine Ja gefallen mögen,“ id est: numquam desistam tibi amicus esse, quamvis omnia affirmes, quae equidem nego; quamvis liberam sententiam tuam pronunties et libidinibus meis non obsecutus me vituperare non verearis, si quid me imprudenter agentem vides. Ita recte amicus amici consuetudine utitur et consilio.

In labores etiam maiores incurrimus in tertia stropha. Quod primus strophae versus; „ûz eime herten steine“ anacrusi numeros auget, facili emendatione „ûzem“ scribere possumus, id quidem e praepositione „ûz“ et dativo articuli generis masculini contractum. Sed non opus est, cum in carminibus gnomicis saepius anacrusin in nonnullis versibus extare, cum in aliis desideretur, supra exposui.

Omnino autem haec stropha non ex omni parte integra tradita videtur. v. 4: „sprêchen alde sînen sîne verzérn“ minor est iambo (alii qui huic respondent sex arses habent). Quae v. 6. omissa est paenultima thesis, fortasse articulo ante „grillen“ per scribam non satis diligentem neglecto sublata est („schrient ouch die grillen“). Sed in versu secundo eadem paenultima thesis requiritur neque hic sine violentia aliam inseres. Itaque utrum consulto poeta ipse has theses suppresserit annon, adhuc sub iudice lis est; certissime id fecit initio versus quinti omnium stropharum: Túmp: mán; vriúnt mîn; wés dés.

De systemate dimidiato in epodo repetito cf. pg. 80.

Schema carminis hoc est:

Ia.	1. a 5 ⏑		Ib.	3. a 5 ⏑	
	2. b 6			4. b 6	
II.	5. c 2		[Ic]	7. a 5 ⏑	
	6. c 2			8. b 6	

VII.

2, 4. minne müemel. adiectivi formam „minne“ inveniri Zarnckius in thesauro s. h. v. non putat Beneckiumque errasse arbitratur omnibus locis, (MS. 2. 185a; 1. 115a; 2, 37a), ubi extare hanc formam ille consuerit. Sed nonne forsitan hoc loco melius videatur adiectivi formam poetae vindicare quam ei compositum „minne müemel“ inculcare? — vocabulum „müemel“ Zarnckio nonnumquam videtur ita adhibitum esse, ut ad affinitatis vinculum non pertineat. cf. quae dixit in thes. s. v.

6. dó ich im seite umb ein Jâ. verbum „sagen“ saepius cum praepositione „umb“ coniungitur; sed ita ut eidem simul dativus personae („im“) addatur, in thesauro alio exemplo non firmatur.

Versus tertii et sexti caesuram habent post quartam arsin thesinque proximam supprimunt.

Quod in versu sexto strophae secundae [seite | | umbe] littera „e“ in „seite“ neglecta caesura ante vocalem verbi proximi elisa sit, accuratae arti metricae convenire non videtur. — In quarto versu einsdem strophae forsitan „noch“ delendum sit, quod sane supervacaneum est et auget hunc versum anacrusi cum in nullo alio omnium stropharum versu haec inveniatur.

Versus septimus in prima stropha septem arses praestat, quarum post quartam thesis omissa est; sed si ex eadem norma versus eosdem stropharum ceterarum exigimus „álsus hílfet mích gegén ír mín lánges kríegen.“ „jâ vürhté ich der blüeté, swánne es sêre rîfet“, non facile perferet eos, qui assuetas Waltharii aliorumque bonorum poetarum aures habet. Potius sex statuendas esse arses in unoquoque versu dices et hanc normam:

dá diu kleinen vogelîn únder súeze singent.
álsus hílfet mích gegen ír mîn lánges kriegen
jâ vürhte ich der blüete swánne ez sêre rîfet.

nam syllabae vocabuli „gegen" in thesi correptae hic non vituperandae sunt itaque schema hoc est:

Ia.	1. a 5 ⏑	Ib.	4. a 5 ⏑
	2. b 2		5. b 2
	3. c 4 + 2		6. c 4 + 2
II.	7. d 6		10. e 4
	8. d 5		11. e 2
	9. e 4		

VIII.

1, 8. „niht mê". si haec vocabula scripsit poeta, re vera ea inseruisse videtur, ut lacunam metri expleret, nec verbis praecedentibus satis conveniunt; si e facili emendatione „noh mê" recipimus, sententiae saltem aptius se accommodant.

Ceteris in rebus genus dicendi huius carminis simplex est neque difficultates interpretationis offert.

Non prorsus apparet, utrum versus decimus huius rythmi diaresin habeat post tertiam thesin, an caesuram post quartam. Si ad hanc rationem versus redigere conamur, idem nobis hic offertur metrum quod in versu tertio et sexto rythmi septimi et quattuor versus bene compositi videntur:

sách ich ûf der heide dâ | wás ich ê
dáz ich minne díe diu mír | ist gehás
dáz er sí wol êre und ín | gúotes gán
sô waere ín der wérlde díu | vrôude ein wiht

sed versus 8, 10: „vrouwen die sint guot hiure alsam vert" huic mensurae se non subiungit.

Si priorem sequimur, displicet quidem diaeresis ita versum partita, ut versus membro alteri et ipsi thesis praemissa sit, [sách ich ûf der heide | | dâ wás ich ê etc.] neque ad hanc quidem mensuram versus ille 3, 10 sese accommodat. Forsitan hic quoque dactylus in mediis trochaes statuendus sit:

súch ich ûf der heide dâ wás ich ê.
dáz ich mínne díe diu mir íst geház
dáz er sí wol êre und in gúotes gán
sô waere in der wérlde diu vrŏude ein wiht.

Ita eo magis hanc mensuram statuo, cum haud dubie singuli dactyli in versus septimos irruerint (varwe gesundert; liebe kan slafen; vrŏuden mit triuwen; wunne mit staeten.)

In versu 3, 10, si integer traditus est, trochaeus extat pro dactylo. Schema:

Ia.	1. a 4		Ib.	4. a 4
	2. b 3			5. b 3
	3. c 3			6. c 3
II.	7. d 7 ⏑			9. e 2
	8. de 1 ⏑ + ⏑			10. e 5 (?)

IX.

Huius quoque carminis verba facilia sunt intellectu.

1, 6 „meinen und liegen“ non ad feminas respicere consentaneum est, sed piget, feminas, si ei qui amorem nancisci volunt falso gloriantur et mentiuntur.

1, 12. „bi in“. Praepositio „bi“ in sermone medii aevi aut locum significat ad quem quaelibet res fit, aut instrumentum, quo quid perficitur; sed saepe vocabulum has duas notiones ita coniungit, ut nec per vocem „durch“ nec per „bei“ prorsus eius vim reddere possimus. Ita hic sibi volt, et dolorem leniendum esse coram feminis et has ipsas esse, per quas maestitia et dolores mitigentur.

Rythmus carminis noni constat e tribus paribus memoris, ita ut unumquidque suas habeat similes clausulas; pro epodo in omnibus quattuor strophis eidem versus repetuntur — intercalares tales versus veteres grammatici dicunt cf. Serv. ad Verg. Ecl. 8. 21. — Systematis praemissi membra eisdem clausulis non coniunguntur. Schema:

Ia.	1. a 3 ⏑	Ib.	5. c 3 ⏑
	2. b ⏑ 3		6. d ⏑ 3
	3. a 3 ⏑		7. c 3 ⏑
	4. b ⏑ 3		8. d ⏑ 3

II.	9. e 3 ⌣		11.	e 3 ⌣
	10. f 3		12.	f 3

X.

1, 5. stêt vil lîhte vor ein harter nagel . . Quomodo „vil lîhte" intellegendum est? Significatio „wahrscheinlich" ad sensum verborum prorsus inepta est. Si „lîhte" hic „paullum, parvum" valere statuimus, per „vil" non apte augeri videtur; nec sententiae convenit, quae id solum requirit, ut digito molli opponatur unguis durus. Forsitan eandem hic habeat vim, quam ei in orationibus sacris a Griesheimio editis 1, 2 attribuendam esse Beneckius putat, ubi „von lihten holze" interpretatur „de lignis lêvigatis": ita ut de ungius duri levore poeta loquatur. cf. Thes. p. 998.

Carmen haud dubie truncum est ideoque non statui potest, utrum ultimus versus anacrusin habuerit annon; in priore stropha desideratur, in altera extat. Itaque utrum recte Hagenius I, 7. „unde" pro „unt" scribendum esse annotaverit annon nescio. Si anacrusi eam ornare volumus, forte melius „der harm" scribimus, quo tollitur accentus metrici inconcinnitas per Hagenii emendationem versui intrusa („harm ist blanc unde . . .) Schema:

Ia.	1. a 3 ⌣		Ib.	3. a 3 ⌣		II.	5. c	8
	2. b 6			4. b 6			6. c	4
							7. c ⌣	5 (?)

XI.

1, 3. ez hât vuoz, ougen noch die hant. vocabulum „noch" hic sicut multis locis ultimo e serie plurium verborum negationis instar additur, ratione ita a nostro sermone diversa, ut illud „weder" quod nos praemittimus omissum sit. Si duae res sunt, quae tali modo cuilibet alii rei attribuendae esse negantur, persaepe ita adhibetur. [cf. Walth. 13. dem sint die engel noch die frouwen holt]; tripartitionis exemplum aliud non inveni.

5. beide armen unde rîchen . . . accusativum pluralis neutrius generis „beide" adverbii instar usurpatum saepe alium casum verborum hoc verbo coniunctorum usitatum

est apud auctores medii aevi et a Müllero multa eius rei specimina afferuntur.

7. verbo „varen" hic accusativus fluminis apponitur, per quod vehitur, sicut tritum est „sine strâze varen".

16. „rint âne horn" accusativus est ad „gouch" additus, non nominativus ad rem pertinens, de qua agitur in aenigmate; respiciunt vero hae ambages non tam ad invidiam, sed ad fraudem et mendacium, id quod ex mentione de Eva facta et fraude ab angue in paradiso commissa colligitur. Ex his duobus vitiis natos esse omnes labores rerumque miseriam humanarum non abrumpunt poetae aetatis mediae patientiam iterum iterumque repetendi.

2, 6. usitata vocis forma „courtois" est, sed „courteis" saepe scriptum extat in Wolframii Parzivali, immo in v. 651. 5 „die courteisé" ita, ut versus clausulam coniungat cum „reise".

3, 4. dir wirt ûz einem ort ein pfunt. „ort" masculini et neutrius generis est; sed saepius neutrius; utrique formae diversam significationem attribuendam esse verisimile non est. Primum quidem haec vox terminos significat et in spatiis et in temporibus, neque minus initium quam finem, terminum de quo et terminum ante quem res deducta sit, simulque continet quandam notionem, qualis sit huius termini natura (Ecke; Winkel; Spitze (einer Waffe) etc.); non raro opponitur vocabulo „ende", his locis certo exordii terminum sibi vindicans, sicut XII. 1. 5. vröude ân end und âne ort.

Praeterea autem prorsus alia huic inest significatio, ex quo duo verba esse eiusdem formae, sed prorsus diversae originis nonnulli collegerunt. E Schmelleri sententia hoc verbum quartam mensurae, pecuniae, ponderis partem, quadrantem significat, qua e significatione idem paullatim ad parvum quiddam et ad minimi ponderis rem indicandam adhibetur. Ita nostro loco et apud Suchenw 38. 43 umbe tausent pfunt als umb ein ort. cf. Zarnckium in thesauro s. v.

5. „linse" sortior, arte magica utor. quae res uti eodem verbo exprimi possint docet Grimm deutsche Mythol. 989. cf. Erec 3346: ouch vlurn si ir liezen.

11. „lespe" per metathesin litterarum ex „lepse" exortum, quae pluralis forma in libro „Sumerlaten" inscripto 36. 29. per „labia" illustratur; singularis forma in eisdem glossis est 11. 10; 46. 41; pluralis „lefse" Frauend. 25. 4. (cf. Graff. 2. 206.)

12. du hâst den vischen husten, krebsen sât erwert. .. Nisi verbum „erwert" in utroque pronuntiati membro alia ratione interpretandum esse censes — in priore arcere aliquem ne quid faciat, in altero arcere aliquem a re, impedire eum, quominus re potiatur — dicendum est, „sât" hic ad actionem serendi pertinere. In thesauro Beneckiano huius quidem rei exemplum non porrigitur; attamen non nos esse audaciae nimiae puto, si hanc significationem in nostro sermone usitatam etiam priori sermoni vindicamus. Nam haud dubie in compositis nonnunquam vocabulum hanc significationem habet, sicut in „vastensât" das Säen zur Fastenzeit; „herbestsât" das Säen zur Herbstzeit. cf. Grimms Weisthümer 1. 843.

17. dû prüevest âne mals ein bier. „prüeve, pruove" (nonnunquam scriptum: brüeve, bruove) ex verbo Latino „probare", francogallico „prouver" ortum esse verisimile est, ita tamen ut etiam „pourvoir" et alia verba francogallica notioni eiusdem attribuant; in usum venit e medio saeculo XII. et saepe invenitur apud Wolframium, qui libenter vocabula ex alienis linguis petita adhibet; significatio est: comparo, confero alqd ad alqd. Ita verbum hoc quoque loco adhibitum esse potest. Sed cum persaepe in codicibus cum „briefen" mutetur, in nostro versu mutatum esse hoc verbum cum „briuwen" (cerevisiam coquere, „brauen") sine temeritate dicere possumus; id quod fieri potuisse etiam Zarnckius non negat. Equidem recipiam „briuwest" in textum. (cf. Zarnckium s. v.)

Carminis numeri bene sunt compositi. Si quis ad severam concinnitatem exigendos esse versus putat, ita ut eidem aut exhibeant anacrusin aut ea careant, quamquam certissime non sunt hae strophae unius carminis, facile pro

„sage an“ in v. 18. primae strophae „sage“ scribi potest. Sed mutatione non opus est. Schema:

Ia.	1. a ⌣ 4	Ib. 6. a ⌣ 4
	2. b ⌣ 4	7. b ⌣ 4
	3. a ⌣ 4	8. a ⌣ 4
	4. b ⌣ 4	9. b ⌣ 4
	5. c 4 ⌣	10. c 4 ⌣

II.	11. d ⌣ 7	14. f ⌣ 2	17. e ⌣ 4
	12. d ⌣ 6	15. f ⌣ 2	18. g ⌣ 2
	13. e ⌣ 4	16. g ⌣ 2	19. e ⌣ 4

XII.

1, 4. „überschoenet“. compositum non saepe inventum, sed annotant thesauri editores: Türl. Wlh. 32. b. der schoende die bluomen überschoenet. — MS. 2. 233. a. dû überschoenes dort die himmel gar. — Heinr. v. Freiberg. Trist. 3929. ir schône mit schoenheit überschoent gar aller wîber schône.

12. schillet. E trepidandi, saliendi notione significatio sonandi oritur, quae sola extat apud auctores medii aevi, cum prior in compositis inveniatur. cf. Gramm. 2. 32; Graff. 6. 255. Sed haec ad sententiam hoc loco non apta est. Haud dubie versus corruptus est; ad numeros aequandos duae syllabae desunt. Quamquam facile voce bisyllaba inserta et pro verbo simplici composito scripto sententiam aptiorem numerosque rectos reddere possumus, nihil tamen valent ad crisin verba ita e mera coniectura mutata indiciis certis non defensa ideoque tali negotio levi, sed inutili supersedeo.

Maiore cum fiducia versum octavum strophae alterius emendare ausus sim, quippe in quo perspicua veri vestigia adhuc cognoscantur. Verba tradita sunt: daz er uns erloste von sünden zallen zîten“. quem versum claudicare Hagenius non ignarus syllabam „er“ in „erloste“ delevit, numeris necessariis etiam sic non restitutis. Scripsisse poetam puto:

daz er uns sünder loste zallen zîten.

Quibus verbis cum neglegentia perlectis scriba nescio quis „daz er uns erloste“ dedit. Cum ita versum una arsi

minorem esse, quam qui illi responderent quartus secundae, quartus et octavus prioris strophae, aut ipse cum denuo retractaret sua aut alius intellexisset idemque peccati notionem requiri a sententia putaret, „von sünden" inseruit.

Ambae strophae huius rythmi magnas difficultates praebent, si quis ad certam normam eas redigere volt. Qua ratione versum octavum strophae alterius emendandum putem modo dici; sed in aliis quoque versibus vitia non parva videntur extare. Quod in altera stropha versus secundus et quartus anacrusin habent, cum eidem ea careant in stropha priore, id nos minus offendit, cum hae non sint unius carminis strophae; iam minus placet, quod eandem versus septimus strophae secundae omisit, cum non versus tertius solum et septimus prioris strophae, sed etiam tertius eiusdem strophae eam exhibeat. — I. v. 11 ante vocabulum „engel" articulum inserendum esse arbitror, ipsa iam verborum sententia requisitum, ita ut versus prorsus eiusdem mensurae sit quam qui eundem locum habet in stropha altera. Sed sicut versus duodecimi, duo quoque amborum epodorum ultimi versus nullo modo congruunt.

Versus I. 13. „dâ tûsent jâr noch kurzer sint, danne hie ein stündelîn" duo continet membra caesura ita divisa, ut prius habeat quattuor iambos, alterum dimetrum trochaicum catalecticum in syllabam sive ut e legibus metricis Germanicis versum significem versus complectitur octo arses anacrusi praemissa ct quarta thesi in caesura sublata. Versus recte compositus videtur aptamque praebet sententiam; sed quomodo ex eadem norma versum eundem strophae alterius redigam non video nec melius versus ultimos consociare possum. In his quoque consulto omitto conamina afferre vitiorum sanandorum, quippe quae vestigiis veri prorsus deletis potius praebeant quae quis sibi finxerit, quam quae scripserit poeta. Schema carminis, sed dubium:

Ia.	1. a ⏑ 7	Ib.	5. d ⏑ 7
	2. a 7		6. d 7
	3. b ⏑ 4		7. b ⏑ 4
	4. c ⏑ 5 ⏑		8. c ⏑ 5 ⏑

II. 9. e ⌣ 4
10. f ⌣ 5 ⌣
11. e ⌣ 4
12. f 8 ⌣
13. g ⌣ 8
14. g ⌣ 8

XIII.

1, 2. „wuocherheit" in thesauro Beneckiano non affertur neque „übersinnic" 3, 18; „viurvraz" ex versu 3, 4; sed hoc quoque alio loco non extare videtur. [1])

3, 5. berges slunt. Extant in thesauro s. h. v. haec: „1. Schlund u. s. f. 2. Schluck." quam significationem ad demonstrandam laudantur: Helbl. 1. 360. und stüende ein slunt drîzec, ich wil in gerne gelten. et ex anth. Wackern. 575. 11 (Weinschwelg) „von ûren unt von elhen wart solher slünt nie niht getân." Sed nescio num ex hoc nostro loco tertia huius vocis significatio statuenda sit. An vero aliud hic „berges slunt" dicere potest, quam eum qui montes devorat, absorbet? Ita vocabulo huic praeter significationes a Müllero allatas eadem quoque attribuenda sit, quam „slint" habet in nonnullis nominibus propriis a poetis ioci causa fictis sicut „Lemberslint" (is qui agnos devorat) Helmbr.; Slinthart (qui audax, fortis est in devorando; Renn. 5. 108b).

3, 16. „eines"; hanc adverbii formam Beneckius his verbis in thesauro interpretatur: „einzig und allein; — einmal; — künftig einmal und in vergangener Zeit einmal", neque est inter locos ab eo laudatos, quo eandem huic voci significationem dare possimus, quam hic ei vindicem: „mit einem Mal." Neque hoc nimis audacter factum videtur, si ex nostro loco hanc ei etiam medio aevo significationem fuisse colligo, cum in nonnullis dialectis nostri sermonis haec conservata sit. (Pommerani et Hannoverienses „eins" saepe utuntur, ut verba „mit einem Mal" reddant).

Huius rythmi strophae 1, 2, 4 in manuscripto Jenensi sub Kelini nomine feruntur, quem poetam nisi ex hoc ipso codice non cognovimus. Parisinus Marnero etiam haec attribuit et cum non iam pro experto sit, quam auctoritatem Jenensi impertire debeamus, adhuc dubium videtur, utri

[1]) Cum verba Marnero propria iam Hagenius collegerit. iterum dare hunc indicem nolo; sed suo loco quae omisit ille afferam.

poetae haec carmina vindicandae sint. Sane in genere dicendi et in rebus metricis nihil est, de quibus dicere possimus eundem poetam non haec conscripsisse quem carmina priora; nam vocabula raro inventa alia quoque poemata Marneri praebent.

Extant quaedam scripturae diversitates inter Jenensem et Parisinum, quas affero, ne quis maioris eas esse momenti putet:

I. 2. saelde eyn wuocherheit J. — 3. „sich" pro „un" J. 7. geschonete J. 8, 9 desunt in P. 9. gekronete J. 10. engele J. 12. vür alle meit P. ob allen maget J. 16. ûz J. von P. (quo versus una syllaba augetur elisione ante „von" sublata.) syme J. Grabriêl J. (pro Gabriêl P.) 17. mers breiter J. (pro meres leitestern P.) 18. vinsternys J. vinstri P. 18. lûter ein J. 19. glanze liht J. 20. haut J. habent P. gotes J. gottes P.

Carmen secundum a Parisino solo porrigitur.

III. Swir J. (pro wir P. sed praeformata esse litterae „w" lineamenta pro quibus scriba falso „S" pinxerit, Hagenius annotat.) 3. üblin P. übele J. 4. er stalvraz er viur k. J. er viur vraz er stal k. P. 5. her birge J. (pro er berges). 6. swenne P. swan J. 6. wüeten P. wôten J. 7. Er-liste P. Ir-lit J. 8. geboren J. geborn P. 9. der sunne J. des sunen P. 10. sin pro ir P. 12. mügen sichgehöten J. 13. schur (pro schure) J. 14. sît P. sint J.

15. des himels wîte unde erden J.
der himel wîte der erde P.

16. daz mere er eyne ân schaden in sich tr J.
âne schaden daz mêre er eines in sich tr. P.

20. gît im nah s. P. gît ich meine an syme J.

IV. 1. ir edelen milte J. 2. sint P. gedingu J. gedingen P. 4. ê vert üwer — ho P. ouch vert J. wirt ir — erden J. 6. kan P. mac J. 9. den argen tzür helle sigen J. 10. tusenden P. tusend J. 13. die ne mügen J. unt mugen niht P. 14. gitik P. gidich J. 14. sol nu wan J. sol niht wan P. heine P. deiheinem Bodmer. 18. . . . vor got vor êren spart ie vremder man des noz P.

. . . vůr gůt vůr ere sparet ein vremder ê des noz J. 19. unde (für niht) J. 20. gut man — hort J.

Si quis hanc scripturae diversitatem cum carminum textu ab Hagenio lecturis porrecto comparaverit, hunc virum ratione firma et strenua in verbis poetae restituendis non esse usum cognoscet. Sequitur in universum codicis Parisini auctoritatem, sed recipit, quod ei magis placet ex Jenensi. Ceterum et Parisinus et Jenensis textus multis corruptelis laborant, imprimis epodorum versus ita corrupti videntur, ut difficillime cui sint metro strophae subiungendae cognoscere possimus.

Ita versus XV. in prima quidem et in tertia stropha sex exhibet arses cum anacrusi:

Marîa daz er sich dir neigete mit dem wort,
der himel wîte der erde wages umbekreiz.

sed neque in stropha II neque in IV hi versus se apte accommodant illi metro; neque alios facile restituere poteris, quamquam Hagenii emendationibus receptis.

Itaque haud sine dubitatione stropharum schema ita constituo:

Ia.	1. a ⌣ 3 ⌣	Ib.	7. d ⌣ 3 ⌣
	2. b ⌣ 3		8. e ⌣ 3
	3. a ⌣ 3 ⌣		9. d ⌣ 3 ⌣
	4. b ⌣ 4		10. e ⌣ 4
	5. b ⌣ 2		11. e ⌣ 2
	6. c ⌣ 3 ⌣		12. c ⌣ 3 ⌣

II.	13. f ⌣ 4	16. g ⌣ 5	19. h ⌣ 6
	14. f ⌣ 7	17. h ⌣ 5	20. g ⌣ 5
	15. f ⌣ 6	18. h ⌣ 7	

XIV.

1. 16. zen vröuden diu zergât . . . ad pluralem huius vocis saepe respicit singularis pronominis; cuius rei in thesauro multa exempla afferuntur. Sic Parc. 248. 9:

dem der nû zins zen vröuden gît,
diu ist an im verborgen;

in Wolframii carminibus lyricis apud Lachm. 8. 35:

urlop ich nime zen vröuden mîn,
diu wil nû gar von mir.

3. 9. „überkreftig“. hoc adiectivum praeter hunc

locum non inveniri thesaurus annotat neque alium versum nisi tertium decimum huius carminis affert ad demonstrandum, verbo „mannen" significationem quoque „Lehnsmann sein" inesse.

4. 9. wie nôt dir von . . . Utrum „not" in his verbis adiectivi an sustantivi forma sit, dubium est; priorem sententiam Beneckius amplectitur in vocabulario Iweinii editioni addito, reicit eam Zarnckius in thesauro s. h. v.; sed negari non potest, comparativum huius vocabuli nonnunquam extare. Dicit porro rem obiectam his verbis adiungi aut cum praepositionibus „nâch" et „ze" aut in casu genetivi. E nostro loco discimus, praepositionem „von" quoque adhiberi posse.

6. 12. non recte Kurzium verba „in Ache stât der stuol" interpretatum esse putaverim: „der Kaiserstuhl in Achen ist unbesetzt;" opponit enim poeta potentiam nimiam episcoporum aliorumque clericorum potestati legitimae imperatoris et regis. Nam postquam fabulam illam narravit, in arce Romana omnes terras subiectas a pictoribus in parietibus depictas esse et unicuique tintinnabulum additum, ut e sono illius cognoscere possent, in quibus terris bella exorta essent statimque eo auxilia mitterent, ita ad res imperii Germanici adumbrandas transit, ut quemquam venturum esse neget, quamvis in omnibus terris campanae ad incursiones hostium indicandas moveantur. „Et ea de causa imperii auctoritas deminuitur; principes clerici non recte habent infulas in capitibus, flexum in scipionibus (id est: curvos scipiones sive lituos portant), clientes, famulos, vectigalia; Aquisgrani stat regis solium." Volt igitur dicere poeta: non recte clerici illi cum potentia sua legitima signa et opes potestatis regiae coniungunt; nam Aquisgrani est solium; hic regis sedes est et apud eum summa debet esse imperii non sicut nunc apud pontificem maximum et episcopos. „nunc autem", pergit v. 13, „ille ipse sceptrum habet rectum, signum imperii regii; id quod non ferendum."

11. 4. pro „in einer wuestunge" Hagenius scripsit „wuestenunge" talique modo versum anacrusi auget, qua v. 8. carvet; sed retineo „wüestunge", ita ut ambo versus

prorsus sibi respondeant. (nam verborum „ín einér wuestúnge" accentus anceps initio versus nullum offendit.) Haec vocis forma apud bonos quidem poetas non extat; sed saepe invenitur apud mysticos a Pfeifferi editos — et in carminibus saeculi XI. et XII. a Diemero editis 322. 25: duo rief des boten stimme in dise werlt wuestunge; porro in vocabulario a Diefenbachio ad lucem prolato 94. 168. „wüstunge" dersertum, solitudo; praeterea autem forma quam Hagenius recepit non defenditur meliorum auctorum usu.

17. 12. der heizen snüere mez . . . Vocabulum „mez" tritum est in lingua vetere, minus usitatum vero medio aevo; mensuram significat e qua res metimur; — „Snüare" sunt lineae cassidum et galearum, vestium aliarumque rerum; porro Sumerl. 10. 72. huic verbo „lineolus" adscribitur, quo apud auctores Romanos non invento catenam mensoris significare videtur voluisse, qui conscripsit has glossas. („lineolus" omnino in lingua Latina non extat; vocem quae huic persimilis est „lineola" Gellius habet 10, 11; sed non ad hanc notionem exprimendam.) In thesauro laudatur noster versus et haec scribuntur: „. . snüere (linie) mez"; sed etiam ita me locum non intellegere confiteor.

E vocabulis alias raro inventis ex his carminibus affero: unvrühtic (nonnunquam in Passionali et Liedersaal 250; significationem habet sterilis, infecundi; — sed solum malos fructus ferens dicit. Tistr. 17897.); — „genühtic" (praeterea in bello Troico a Conrado Wirceburgensi composito 154. c. et in libro res ab equitibus Teutonicis gestas complexo a Jeroschimo scripto, a Pfeiffero edito 173. c. — 16, 9. pro „manot" formam „mând" sine ulla dubitatione recipere possumus ad mensuram versus restituendam syllaba una aucti, cum forma contracta iam pridem extet.

De rebus metricis huius rythmi, quem anticum nominabant, iam supra uberius egi.

XV.

8, 6. zwô schepfer. In carminis octavi versu sexto ea de causa paullum subsistendum est, quod hic commemoratur deorum quoddam minorum gentium genus, alias haud ita

saepe nominatum. Jam haec ipsa forma „schepfer“ nos offendit nullo alio exemplo quoad video defensa ideoque Müllero adstipulor, „schepfen“ hic esse scribendum; de quibus Grimm verba facit D. Myth. p. 379. Invenitur verbum cum nostro compositum in carmine Vintleri („Blume der Tugend“):

so haben etleich leut den wân,
das sew mainen, unser leben,
das uns das die gâchschepfen geben
und das sew uns hie regieren;
ouch sprechen etleich dieren,
sew erteilen den menschen hie auf erde.n

Pro verbo „dieren“ versus paenultimi in thesauro scriptum extat „diesen“, nescio utrum ex errore typographi an ex coniectura editoris. Zingerle qui hos versus in ceteris manuscriptis multifarie corruptos integros dat ex codice Innsbruckiano (Pfeiff. Germ. 1. 238.) quod dedi „dieren“ exhibet subiectique partes huic voci vindicat: „etiam nonnullae puellae dicunt et quae sq.“ Vocabulo isto significari deas celeres et alacres putat et bene comparat, quod Graeci Moeras dicunt praeditas celeribus alis (Hymn. ad Herm. 553.) similique modo Erinnyes veloces (Soph. Ai. 838, 844.)

Afferendus porro est e Wackernagelii anthologia versus Michaelis Behamii 1007. 37.

wer gloubt in die geschöpfen
daz die menschen stöpfen
und ûflegen waz im beschiht.

Haud dubie igitur constat, etiam temporibus medii aevi memoriam superstitem fuisse feminarum quarundam divinae originis, quae multi momenti essent ad regendas res vitamque hominum; sed id ita eas fecisse, ut versato fuso stamina ducerent eisque scissis finem facerent vitae hominum, eius opinionis vestigia praeter nostrum locum non extant. Ideoque haud temere dicendum est, has feminas divinas prorsus eiusdem naturae fuisse ac Nornas apud gentes Germanas septentrionales Marnerumque veteres popularium relligiones secutum fecisse eas lanam tractantes et discerpentes. Potest sane id esse, praesertim cum in fabulis

puerorum et puellarum Germanicis persaepe feminae, quae stamina nent et telas texunt, primas partes agant. Sed quod nostro loco solo illis feminis munus Nornarum attribuitur, id pro certo dici non potest. Potuit Marnerus, quae eius erat doctrina fabularumque Graecarum et Romanarum haud spernenda peritia, e similitudine Parcarum nendi consuetudinem transvertere ad illas.

Sunt haec septendecim carmina (apud Hg. XV. 7—24) quae Parisiensis inde a pg. CCCLIII a usque ad p. CCCLIV d exhibet una cum carmine Latino de liberis artibus conscripto haud dubie a Marnero ipso composita rythmique longi speciminum instar esse possunt, qualem poeta ipse hunc adhibuerit.

Schema eius si anacruseos ad praesens rationem non habemus hoc est.

Ia.	1. a 4	Ib.	6. a 4	II.	11. d 7		16. f 2
	2. b 3		7. b 3		12. d 6		17. f 3
	3. a 4		8. a 4		13. e 3		18. f 4
	4. b 4		9. b 4		14. e 8		19. f 8
	5. c 8		10. c 8		15. f 7		20. c 8

Quod ad anacrusin attinet, Marnerus iam ipse eam plerisque versibus attribuit.

Hic quoque in systematis praemissis id poeta accurate observavit, ut eidem versus anacrusin aut habeant aut omittant. Initio carminis aut membri rythmici anomaliam eius generis minus molestam esse iam dixi ideoque versum primum strophae vicesimae primae syllaba decurtatum esse non credes, quamquam versus sextus eiusdem poematis dimetrum iambicum praestat acatalecticum. Ceteri versus qui sibi respondent primi et sexti omnes ad unum anacrusin habent; habent eandem iuga versuum secundorum et septimorum, tertiorum et octavorum, quartorum et nonorum: nam in poemate XVII. ubi versus 8. haec habet: „der troum gienc sîuen sinnen vor“ (contra versus 3: ein bilde stân enbor“) haud dubie supplendus est trochaeus in versu tertio, forsitan forma adiectivi mensurae trochaicae ad „bilde“ additi. Versui 8, 4 duas syllabas anacruseos instar praemissas videri, sed re vera non esse iam exposui.

Res paullo difficilior diiudicatu est in ultimo versuum iugo systematum praemissorum; caruisse hoc in omnibus carminibus a poeta ipso profectis anacrusi putaverim cum etiam nunc strophae 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 18, 19, 23, 23, 24, (42) trochaicos numeros in hoc versuum iugo exhibeant; ceterae aut in ambobus aut in altero versu syllabam brevem praemittunt. Sed nonnunquam corruptelae textus aut e neglegentia scribae ortae aut ex emendationis studio cuiuslibet, qui posteriorum temporum consuetudinem secutus ad iambicam mensuram omnes versus redigere volebat, haud dubie cognoscuntur.

Ita in carm. VII., ubi v. 5 octo trochaeos praestat:

„dû vil wîsen Salomones wol gezierter küniges trôn“;

eosdem versus decimus, si syllabam „ver“ in „versüenen“ delemus:

„daz sol gen Asverus süenen dînes süezen mundes dôn“.

Eodem modo se habent hi versus in carmine VIII. — Versus 10. anacrusi caret; versus 5. corruptus est, sed cum vitium non tam apertum sit et ad merum arbitrium metrum restituendum sit, coniecturae vagae supersedeo.

Carmini XVII. per Hagenii scribendi rationem solam anacrusis intrusa est; formam correptam vocabuli „künic“ apud Marnerum usitatissimam esse supra multis exemplis comprobavi. Eundem forma bisyllaba adiectivi „silberîn“ usum esse alio versu allato comprobare non possum; sed si consideras quae dixi supra p. 60 sq. de syncopae natura a nostro poeta adhibitae, hoc esse alienum ab arte Marneriana non censebis. Porro corruptelae facile cognoscuntur in c. 22; c, 21 v. 5; c. 20. Qui restant versus 5 et 10 carminis XVI. facili coniecturae locum non dant; forsitan poeta ipse iam annis posterioribus anacrusi saepius indulsit in his quoque versibus.

Ex epodi versibus undecimi et decimi septimi anacrusi caruisse videntur; priorem etiam nunc trochaicum tradunt carmina 8, 9, 10, 11, 12, 14 („Bite Got“ syllabarum correptio in arsi), 16, 18, 23. Facili emendatione anacrusis tollitur in carminibus 7, 19 (in c. 7 „dû“ delendum est; in c. 19 „vil“ tollendum, tam saepe per neglegentiam scribae

textui insertum: sed claudicàt versus extrema pars, quam Hagenius vocabulo „doch“ post relativum „der“ addito sanare temptavit.) Res diiudicari non potest in carminibus 13, ubi huic versui pes deest, idem in carm. XV es XVII; syllaba una deest in cc. XX et XXI, sed in his omnibus anacrusin versui nostro praemisisse poeta non videtur. Restat c. XXII, nisi hic vocabulum „wol“ tollendum esse putas et accentum ancipitem esse dandum prìmis versus verbis („ích sanc oúch wie sîniu . . .)

Porro in versu decimo septimo anacrusin omittunt carmina XI. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV. nec non VIII. et XIX. nam pronomen „ez“ coniunctum cum praecedente verbo „er“ ita ut unam syllabam efficiant et litteram „e“ syllabae praefixae „ge“ in „gewahsen“ per syncopen sublatam non aberrare ab arte Marneri metrica concedere debemus exempla supra allata contemplati. In c. X. „er kan gewern | unt kan der gernden gern“ alterum „kan“ haud dubie redundat nec minus „im“ in c. VII „und im sîn houpt entruok.“ Per idem studium anacruseos ubique versibus praemittendae illapsum est „erwenden“ pro verbo simplici in versum decimum septimum c. XII.; ita ut ex his soli restent versus decimi septimi carminum IX. et XIII., qui sine violentia ad normam trochaeorum redigi non possunt. Praeterea etiam in versibus vicesimis, sicut nunc poriguntùr codicis Parisiensis lectiones, septies anacrusis deest (c. 10, 11, 12, 14, 16, 17,) in ceteris extat, saepe autem ita, ut posterius inserta videatur. Utique id constat in schemate longi rythmi a Marnero invento versus 5, 10, 11, 17 trochaicae naturae fuisse. Çeteri versus iam a Marnero ipso anacrusi ornati sunt, quamquam in his quoque nonnunquam desideratur.

Ex his carminibus a Parisiensi praestitis nonnulla alii quoque codices praeterea carmina magistralia complexi continent et quodammodo nobis expediet in cognoscendis rebus metricis Marneri et posteriorum poetarum si paullo consideraverimus, quomodo haec poemata paullatim mutata sint.

Colmarensis sub numero 471. p. 4346 (apud Bartschium

p. 424) illud de mendacio aenigma exhibet, quod Parisinus habet p. CCCLIII. d. (apud Hag. XV. 15).

Quod primum notandum est, ubique in libro Colmarensi hi quoque versus anacrusi aucti sunt, qui in Parisiensi ea carent.

v. 5 in Parisiensi est: ér ist snabel raeser; idem in Colmarensi: er íst noch snabelrazer.

v. 10 in Parisiensi:

wîlent ín daz wázzer íst sîn gír unt wîlent ín den wîn;

scriba Colmarensis aut auctor libri, ex quo ille carmina conscripsit, ut octo iambos daret versui acatalecticos, prorsus mutavit verba:

„al ín daz wázzer íst sîn gír unt dóch vil díkker ín den wîn."

In versu 11. res non clare elucet, quod Parisiensis hunc versum duabus syllabis decurtatum tradit: sed e primis verbis „únder tûsent" apparet, anacrusin ei hic non fuisse; sed fuit in Colmarensi: „ir húndert tûsent . .

Qorro v. 13. Par.: dô er víel in schúlt;

Colm.: unz dáz er víel in schult.

v. 17. Par. ín gebinden an . . .

Colm. den wúrm gebinden an . . .

v. 19. Par. dárzuo schénde in der mit im ûz vrônem himelrîch entrán.

Colm. und schénde in der mit ím ûz vrônem himelrîch entran.

Idem apparet in aliis carminibus ab ambobus codicibus praestitis. Ita Colm. sub eod. num. carm. II. (p. 434. b; apud Bartschium p. 425 = Par. CCCLIII. c. XV. 13 apud Hag.); Colm. 472 p. 435 a (Bartsch 426) = Par. CCCLIV. b. XV. 20 Hag. etc.

Hae emendationes cum ortae esse ex studio anacruseos omnibus versibus attribuendae facile cognoscuntur, praeterea aliae quoque paene in unoquoque versu diversitates extant aut leviores aut graviores inter textum libri Parisiensis et Colmarensis. Ita in eodem carmine:

v. 2. P. manic mort. C. grózen mort.

v. 3. P. gar arc mac ich in nennen wol.

C. den kann ich in genennen wol.
v. 4. P. schepfet wort.
C. schepfet mort.
v. 7. P. gar giftig.
C. vergipftig et quae s.
v. 15. Dâvit vluchte im unt darzuo manic wîser man. P. des hazzet in her Dâvit undê ouch vil manic man. C.

Quas scripturae diversitates qui consideraverit has duas res cognoscet: carmina priorum poetarum cum speciminum instar denuo conscriberent et tractarent magistrales qui dicuntur, recensuisse eos et emendasse ex suae aetatis doctrinis metricis; e quibus cum versus structurae trochaicae non probarent, imprimis id eos studuisse, ut anacrusin adderent omnibus versibus, quamvis prius ea destitutis.

Porro autem plane nihil videmus eos id curasse, ut pie et accurate verba poetae seroarent, sed corrupisse ad arbitrium suum textum poematum.

Itaque hic quoque apparet, rem esse difficillimam, si quis edere volt, carmina erotica vel gnomica imprimis poetarum posteriorum, restituere textum re vera a poeta scriptum. E Marnerianis quae continet Parisiensis, ad illius normam scribemus, quamquam etiam hic accuratius exquirendum est, quantam auctoritatem illi libro attribuere debeamus et quamquam nullo modo eum vacare vitiis et corruptelis vidimus: sin vero ex alio codice a scriptoribus magistralibus profecto nonnulla huius poetae nomine subscripta edimus, nos praebere nihil aliud posse sane dicendum est, nisi rythmum et sententiarum connexum poetae, verba autem et versuum structuram prorsus mutata esse.

§. 5.

De carminibus a codice Parisino non servatis.

Carmina supra tractata omnia in libro Parisiensi scripta extant et cum omnia exhibeant idem dicendi genus, eandem in versuum et stropharum structura artem et diligentiam, quin omnia eidem poetae adscribenda essent, nemo dubitavit. Praeterea autem alii quoque codices in nonnullis Germaniae urbibus servati nonnulla nobis offerunt carmina a Parisino non porrecta et in his adhuc paullum subsistendum.

Habet codex Würceburgensis in p. 225 tres strophas, quibus Marneri nomen suprascriptum est, ab Hagenio vol. III. p. 332—34 editas.

Prima et secunda rythmum ostendunt alioquin in Marneri carminibus non inventum. Schema prioris est hoc:

Ia.	1. a ⌣ 4	Ib.	4. a ⌣ 4
	2. b ⌣ 4		5. b ⌣ 4
	3. c ⌣ 5		6. c ⌣ 5
II.	7. d 4		11. f ⌣ 9
	8. e ⌣ 5		12. f ⌣ 4
	9. d ⌣ 4		13. e ⌣ 5
	10. e ⌣ 5		

Est igitur simillimum stropharum generi, quod aureum dicitur („Marners goldner Ton"), in quo carmina numeri primi apud Hagenium composita sunt. Utrumque primos epodi versus ita coniungit, ut quodam modo alterum efficiant systema praemissum (7 et 8 : 9 et 10), sed cum in illo versibus tertio, sexto, decimo tertio per clausulas similes coniunctis facile cognoscere possimus, poetam in his quoque strophis non secessisse a trichotomia, in carmine nostro tam clare id non apparet, quia epodus non cum membris systematis praemissi per extremas versuum syllabas aequatas copulatus est, sed cum versuum iugis quae in epodo ipso sibi respondent. Porro versus 3, 6, 8, 10, 13 in rythmo aureo arses habent septem cum anacrusi clausulaque mono-

syllaba. In rythmo aureo denique versus antepaenultimus dimetrum complectitur iambicum acatalecticum, paenultimus septenarius est iambicus; in nostro continet ille novem arses et anacrusin, eandem hic et quattuor arses. Leges metricae et rythmicae a poeta adhibitae eiusdem sunt naturae atque in carminibus haud dubie Marnerianis.

Quod in versu 7. anacrusis omissa est, cum habeat qui illi respondet versus 9., id non vituperandum, quod initium est membri metrici verbisque: „aller sêlen ein liuhtevaz" alloquitur poeta virginem divinam. Ceterum quamquam littera „e" in „sêlen" per syncopen post liquidam „l" sublata esse potest, non minus bene scribere possumus „sêlen", ita ut anacrusis restituatur inque primis verbis huius versus accentus sit anceps.

In primo versu: „Avé María genaden vol" vocalis syllabae „ge" in legendo supprimenda est, id quod apud Marnerum non raro extare supra exposui; neque alienam esse a Marnero formam „irs" pro „ires" dices. — E verbis „kefs" est non saepe usitatum; sed incidimus in idem iam XV. 13. 15 et exhibet eandem paene locutionem de eadem Maria Helb. 11. 53. [„saelden kefs vol heilikeit".]

Quod denique ad genus dicendi et ad sententiarum connexum pertinet, dicuntur in hac stropha sanctae virginis laudes non aliter ac Marnerus ipse in aliis carminibus haud dubie suis virtutes illius extollit. Sunt re vera omnia omnium huius temporis poetarum carmina in honorem Mariae et dei optimi cantata tantae inter se similitudinis, ut in auctoribus stropharum incertae originis disquirendis e sententiis carminis cuiuslibet nullo modo quis hoc composuerit statui possit eaque de causa etiam in proximo carmine („dû unt dû" et quae s.) nescies, utrum codicis Würceburgensis subscriptio reicienda sit annon.

Est sane non absonum a Marneri ingenio atque indole tam subtiliter verba facere de trinitatis mysterio, de Jesu mira natura, qui idem sit unus et tres (cf. XIV. 1. 1.). Videntur autem quaedam inesse versuum structurae licentiae, quas sibi alias hic poeta non concedit. Versus quidem primos utriusque membri systematis praemissi sine ulla

dubitatione ita emendare poteris, ut vocubuli „drî“ formas declinatas scribas aut non declinatas, prout metrum requirat: divido primum et quintum versum in duos, ut quinque habeat utrumque membrum arses et ita syllabas accentu esse notandas censeo:

1. a. drî und drîe sínt durch drî
   b. sus únderstríkket drî und drî
5. a. die érsten drî, die wârn ie drî
   undé doch eín gewáltic drî.

In his neque syncopen litterae „e“ in „wârn“ neque accentum ancipitem initio versus extantem „undé doch“ opprobrio poetae vertes nec quod versus secundus anacrusi caret; nam verbum primum sententiae vi gravatur. Versus duodecimus hiat, vocali „e“ ante vocalem proximae vocis non elisa; sed hiatum Marnerus non prorsus vitavit cf. p. 57 sq. Sed inter locos a me in p. 64. allatos nullum invenies, quo praepositionis „ze“ vocalis ante consonantem verbi sequentis sublata sit; id quod hic statuere debebis v. 12. hoffen zgote . . . nam si in „hoffen“ per syncopen eicere vis litteram „e“ post consonantem duplicem, vitium non minus commisisse eum contra bonas regulas metricas censebis. Denique quod in versu decimo apocope ad metrum recte exigendum adhibenda est in verbis: „geloube daz dritte“, id est artis metricae rudis et neglegentis, non Marnerianae.

Sequitur in p. 225. b. eiusdem Würceburgensis carmen in duodecimo stropharum genere compositum; continet preces septem a Christo praeceptas, quas auget et amplificat poeta eodem modo, quo in c. XV. 42 leges decem a deo Judaeis datae tractantur. Sed quaestio originis hic etiam difficilior est, quod in multos versus corruptelae irrepsisse videntur ideoque num eaedem in hoc regulae metricae observatae sint doceri non potest. Sic in v. 6., etiam si cum Hagenio „ouch“ delemus, forma decurtata „uns“ pro „unsem“ ad metrum restituendum inserenda videtur, quae a Marneri genere dicendi abhorret; versui duodecimo deest amphibrachys [una arsis et duae theses], versui decimo tertio iambus, brevis syllaba versibus XI. et XIV.

Quae Lipsiensis habet eiusdem duodecimi rythmi carmina, quamquam in codice eius nomine non ornata, maiore cum fiducia Marnero vindicaverim. In priore loquitur de sapienti viro aetate provecto, qui accipitrem alebat venandi studiosum et audacem simulque cornicem inutilem sed loquacem; a sene ipso accipitrem bene nutritum esse, sed neglectum illo mortuo: nam omnes cibos datos esse a liberis stultis cornici rabulae. „Utinam deus senem prudentem qui ita bene accipitrem, nutriret adhuc vivere iuberet; praetulit ille artem garrulitati. Nunc dicatis opus est: taceas cornix!“

In universum difficile esse dixi, quae similitudo sit opinionum, sententiarum, generis dicendi horum poetarum si quis ex his auctorem indagare velit incertum, aliis argumentis non additis. Attamen hoc carmen ita congruere mihi videtur cum ratione illa Marneriana, e qua coniungit praecepta sua cum fabulis de animalibus narratis, atque hae lamentationes de miseris rebus suis adversariisque poetis ob garrulitatem praelatis dictae ita respondent prioribus carminibus, ut ab eodem poeta ea scripta esse verisimillimum sit, praesertim cum alia eiusdem rythmi Parisinus ei attribuat neque sint inter res metricas et grammaticas alienae a Marnero (cf. XIV. 9; 14 — XV. 13; 18; 21 — VI. 1; 2 — XIV. 9; 10; 16 — XV. 9; 11).

Fere idem dicendum est de stropha a Lipsiensi in p. 28. praestita, quamquam me illius primum versum non intellegere confiteor; nec scit Müller qui scribit in thesauro: „töre? vielleicht störe?“ sed quid profecerit hac emendatione non video; in ultimo versu „selben“ metri causa esse delendum censeo. Quae praeterea habet eius generis — syllabarum correptionem, cum duo „e“ accentu acuto non icta vocali simplici separentur — v. 1. zale verlorn, v. 14. liute berihten; syncopen irter liquidas adhibitam „spilut“ v. 10; eandem in „mangem“ et „edelem“ v. 13 — vituperanda non sunt.

Offert denique e Lipsiensibus codex VI. vaticinationes Sibillae in metro aulico („Hofton = XIV. ap. Hag.) compositas; sed nomen Marneri non gerunt neque illius eas esse puto. Exhibent clausulas sicut; „ergân: Salomon“, syncopen litterae „e“ post duplicem consonantem („brükke daz“), alias eius generis res.

Ex Heidelbergensibus Hagenius ad editionem suam perficiendam eos solos adhibuit, qui numeris 357 et 350 notantur. Prior Marneriana non offert; alteri carmina gnomica complexo additum est florilegium poematum de rebus divinis agentium ab alia manu scriptum; et hic inde a p. 43 usque ad p. 64 ea carmina leguntur, quae Hagenius una cum Parisiensibus edidit et asteriscis notavit. Editor ipse has strophas spurias esse arbitratus est: quam rem premit, structuram rythmi mutatam esse, cum hae coniungant et priores et ulteriores partes versuum ultimorum systematum praemissorum clausulis similibus, aliae posteriores tantum, — id recte quidem dictum est, non tamen per se demonstrare potest, carmina illa a Marnero non profecta esse, cum nonnunquam poetae ipsi paullatim formam priorem rythmi cuiuslibet mutent. Sed in his carminibus (XV. 25—36) haec res ea de causa gravioris momenti est, quod haec haud dubie a poeta posterioris aetatis imitatore adiuncta sunt ad stropham vicesimam quartam numeros et structurrm vetera servantem. Haec enim agit de vi amoris; non autem de alio cogitat poeta nisi de humano amantium; sed hoc ita amplificatur in carminibus proximis alteram formam secutis, ut amor divinus argumentum sit carminum, arrogavitque sibi verba prima strophae Marnerianae imitator, ut repeteret ea initio uniuscuiusque carminis. — Quod ad res metricas et genus dicendi attinet, offendunt quidem nonnulla minus accurate scripta: magna cum neglegentia longae vocales pro brevibus adhibentur et vice versa ad clausulas similes versuum efficiendas. Sed hoc non alienum esse a Marneri arte metrica supra exposui.

Idem fere dicendum est de strophis 37—41 eandem structuram mutatam offerentibus. Haec quoque spuria sunt; agunt de Eva, quae per peccata sua id nobis eripuerit, quod per „Ave" denuo nobis parandum sit, prorsus composita illorum carminum instar, quae eius generis innumerabilia a poetis magistralibus conscripta nobis traduntur.

Quae praeterea habet Heidelbergensis veterem quidem formam ostendunt; attamen vitiis gravioribus laborant,

quae e natura carminum a Parisiensi servatorum Marnero attribuere non debemus.

Ita in versu quarto carminis primi forma „phlâge“ extat, ita ut respondeat in clausulis versuum verbis: „sage, trâge, klage.“ Haec forma in terris Germaniae inferioris usitata nusquam extat alias apud Marnerum, cuius carmina prorsus nullum indicium praebent, formas eum adhibuisse sermonis septentrionalium patriae regionum. Ceterum utrum hic „phlâge“ scribendum sit an „phlage“, id diiudicari non potest. Forma longam vocalem praestans saepe invenitur in libris, quorum auctores ad sermonem Germaniae inferioris inclinabant; ita ap. Herbart („Herbart v. Fritzlar“) in carmine de Troia scripto v. 3992 verbo „mâge“ hoc vocabulum in versuum clausulis respondet; respondet in carmine, cui „passionale“ inscriptum est vocabulis „wâge, mâge, lâgen“ vv. 240, 30; 69, 13; 225, 38. Pfeiffer putat in chronico Jeroschimi formam „phlage“ adhibitam esse; sed id statui ex hoc opere non potest, quod poeta saepe vocales breves et longas in versuum clausulis similibus coniungit. — C. II. v. 2. tollitur ultima consonans verbi „stên“, ut respondeat vocabulo „mê“ in clausula versus quarti. — c VI. v. 1 : 3 „himelhort“ et „bewart“ in clausulis versuum sibi respondent.

Porro apocope, elisio, ceterae res metricae non ita adhibitae sunt, quam Marnerum hoc fecisse supra statui. Ut nonnulla afferam:

1. 10. ein krône von im. — 1, 11. bílde bezeichnet.
2. 6. hérze mir dâ . . . 2, 15. diu bekronte.
2. 19. evangelísten ir seit . . . etc.

Haec de his. Multo autem maiorem seriem carminum in rythmis Marnerianis compositorum codex Colmarensis continet, qui per multum temporis oblivione obrutus denuo Basileae repertus est et nunc in bibliotheca Monacensi servatur. Wickramius quidam, cum societatem poetarum magistralium in patria sua condere vellet, hunc sibi a. 1546 comparaverat, ut carmina haberet eximia clarorum poetarum proponenda speciminum instar tironibus. Bartsch titulos dat carminum et versus primos in prolegomenis editioni codicis Colmarensis praemissis. Post multas aliorum poe-

tarum strophas in p. 433. a in verba incidimus: „dyss ist des Marners langer ton“ et inde ab hac pagina usque ad p. 473 c. carmina secuntur a Bartschio numeris 470—518 notata. E quibus unum (n. 509; p. 466 d.) duas tantum strophas continet, pleraque tres, multa quinque aut septem, ita ut hic liber paene ducentas nobis strophas in Marneri longo rythmo compositas offerat: singula carmina suas habent suprascriptiones sicut: „aber III, aber IV, aber VII im langen Marner“ etc. Expressae sunt typis strophae viginti et quinque, quas invenies in Bartschii libro inde a. p. 424—442 (No. XCIII—C).

Ex his Colmarensibus apud Hagenium quoque extant:

No. 471	(p. 434 b),	apud Bartschium	No. 93, 1 u. 3.	ap. Hag.	XV. 15 u. 13
- 472	(p. 435 a)	-	- 94, 1 u. 2.	-	- 20, 18
- 473	(p. 435 d)	-	- 95, 2	-	- 12
- 480	(p. 439 d)	-		-	- 7[1])
- 483	(p. 441 d)	-		-	- 23[2])
- 473	(p. 435 d)	-	95, 1	-	- 42
- 479	(p. 439 a)	-		-	- 1—3
- 480	(p. 439 d)	-		-	- 4 u. 5
- 501	(p. 458 d)	-		-	- 40?[3])
- 503	(p. 461 b)	-		-	- 5—7

Octo ex his strophis Hagenius ex Heidelbergensi depromsit; quas primo loco nominavi, ex Parisiensi fluxerunt.

Supra exposui non mihi videri a Marnero ipso profecta illa carmina, quae auctoritate codicis Heidelbergensis sola defenduntur. Permoverunt me et res metricae et grammaticae, ut hac in re Hagenio adstipularer. Contra quin strophas longi rythmi a Parisiensi praestitas eidem poetae attribuamus, qui composuerit poemata ab illo in paginis CCCXLIX d—CCCLIII a porrecta, non dubitavimus.

Sed ne mininum quidem indicium extat qui conscripserit codicem Colmarensem impertivisse auctoritatem vel minorem vel maiorem aut his aut illis.

---

[1]) Idem carmen legitur sub n. 530 (p. 461 b).

[2]) Sub hoc numero tres strophas porrigi a codice Bartschius dicit, sed primae solius verba prima affert, ita ut dici non possit, num etiam altera et tertia in Parisino extent.

[3]) Idem esse videtur quod Hagenii carmen 40 (Avê dû hôher êren hort); de ceteris sex tacet B.

Prorsus eosdem titulos utrumque genus gerit neque alios illa carmina, quae neque in Heidelbergensibus neque in Parisiensi extant. Non igitur aliis argumentis quam internis, ut ita dicam, depromtis e carminum natura, e genere dicendi et rebus metricis utamur oportet, si cognoscere volumus, quae suo iure Marneri nomine ornata sint.

Sed quomodo haec carmina tradita sunt, quae erat scribarum parva cura, utrum vera poetarum verba exhiberent annon, contra quod studium ut adaptarent poemata veterum poetarum sui temporis legibus rythmicis et metricis, facere non possumus, quin hac scrutatione haud ita multum profici concedamus. Imprimis quod ad res et sententias his strophis contentas attinet, facile hic has, ille illas a Marnero abiudicabit, quas alii eidem vindicare non dubitabunt. Auxilia meliora petere poteramus ex argumentis a rebus metricis et grammaticis depromtis, nisi cognovissemus ex exemplis supra allatis, omnia carmina ita mutata esse a scribis, ut paene nullum versum, ita ut scriptum esset, ab his codicibus exhiberetur.

Qua de causa equidem in his rebus operam et oleum perdere nolo neque video, magnam fidem attribuendam esse Bartschio, si has spurias esse contendit, illas Marnero ipsi deberi censet. Omnino pro suo quisque arbitrio ex his eliget, quae Marneriana putabit.

Cognoscimus porro ex hoc Colmarensi rythmum Marnerianum adhuc nobis ignotum. Habet enim sub XLVIII. 519. pg. 475. a. carmen in rythmo compositum, qui prophetarum dicitur. Affert tres strophas, quarum primam a Monacensi quoque Bartschii (cod. germ. 351) p. 198 a. exhibitam Bartschius typis exprimendam curavit. Quamquam autem proprium Marneri carmen scriba hoc appellat („der prophetendantz ein eygen geticht des marners“), certissime haec stropha Marneri non est. Jam offendit littera „e“ in „über“ sublata, sed ferri potest: sed nusquam concessit sibi Marnerus verbum „dienent“ unius instar syllabae adhibere neque litteram „a“ in „Eva“ ante „und“ per elesionem tollere. Quae porro semper apparet Latinae linguae peritia non parva, „occidant“ scripsisse, ut verbum habeat

eandem clausulam quam „vant“, non putandus est. Quod clausulae similes saepe ita effectae sunt, ut longae et breves vocales iuxta aestimarentur, id Marnerus quoque non vitavit, quamquam immodice hac licentia non usus.

Schema huius rythmi arteficiosi hoc est:

Ia.	1. a ⌣ 4	Ib.	6. b ⌣ 4
	2. a ⌣ 4		7. b ⌣ 4
	3. a ⌣ 4		8. b ⌣ 4
	4. a ⌣ 4		9. b ⌣ 4
	5. a ⌣ 3 ⌣		10. b ⌣ 3 ⌣

II.	11. c ⌣ 4	23. f ⌣ 4	30. g ⌣ 3 ⌣
	12. c ⌣ 4	24. f ⌣ 2	31. g ⌣ 3 ⌣
	13. c ⌣ 4	25. f ⌣ 2	32. g ⌣ 3 ⌣
	14. c ⌣ 4	26. f ⌣ 4	33. g ⌣ 3 ⌣
	15. d ⌣ 4	27. g ⌣ 3 ⌣	34. g ⌣ 3 ⌣
	16. d ⌣ 4	28. g ⌣ 3 ⌣	35. h ⌣ 3 ⌣
	21. f ⌣ 2	29. g ⌣ 3 ⌣	36. h ⌣ 5 ⌣
	22. f ⌣ 2		

Ergo si ex schemate volgari carmen distinguimus, versus decem prioris systema efficiunt praemissum bipartitum, quod epodus sequitur inde a versu XI. usque ad versum XXXVI. Attamen haec divisio epodo attribuit magnitudinem nimis molestam. Forsitan ita versus separemus, ut ex duabus partibus compositum esse carmen dicamus, quarum prior versus viginti priores continet, altera sedecim posteriores: utraque pars composita est e lege trichotomiae; sequitur systema praemissum prioris epodus prior inde a versu XI. usque ad versum XX.; in altera parte sibi respondent versus 21—23 et 24—26 systematum instar praemissorum; qui secuntur, epodum efficiunt alterum. Magna cum arte octo clausulis similibus hanc versuum seriem coniunxit. Offerunt nunc omnes anacrusin, sed utrum Marnerus hunc rythmum eodem modo adhibuerit, an posteriores ita versuum mensuram mutaverint, diiudicari non potest.

Habet Colmarensis praeterea in pg. 476 a et 477 a quinas strophas e legibus rythmi aurei compositas; prioribus addit scriptor apud magistros volgatum esse, Marnerum

praeter has nullas in hoc rythmo perfecisse, sed adhuc alias extare ab imitatoribus compositas. E quibus quattuor Bartsch offert; primam, alteram, tertiam, quartam iam Hagenius edidit e Parisiensi, eas haud dubie Marnerianas; quartam omisit Parisiensis, sed Bartsch hanc quoque nostro poetae vindicat neque est, cur ab eo dissentiamus. Operae pretium est considerare, in his quoque carminibus haud dubie Marnerianis diligentia nullo modo maiore usos esse scribas, ut verba integra et sincera servarent; non verba solum et versuum mensuram, immo sententias mutant. Anacrusin paene omnes versus iam in Parisiensi ostendunt; addidit Colmarensis eam primo quoque primae strophae versui, ubi optime eum omitti posse supra exposui (C. Ir schoúwent et quae s. — P. Mérket án. — „ûf" scribit C. v. 2, ubi P. „vor"; „starker" C. v. 5, ubi P. „harter"; sed haec levia. Prorsus autem diversos epodi versus habent:

P.: und ouch dich dort gegen dînem hohen herren maht gevristen
sô dû den zins ze hove gîst,
die sêle Gote und dû in armem melwe begraben lîst.
dû schaffe ez sô, daz dîn diu sêle wart im paradîse.

Colm.: und ouch die sêle wirdeclich dort ewiclîchen vristen
swann man den zins ze hove gît:
diu sêle vert dâ hin, der lîp in erde begraben lît.
dû wirp alhie daz sich dîn sêle frêwe in paradîse.

Neque aliter se habent, quae post nonnulla carmina in rythmo „adhuc ignoto" scriptoris huius libri perfecta codex porrigit pg. 480. a (LI. 524) Marneri rythmum aulicum s. brevem imitata. Sunt strophae quinquaginta et una, e quibus septendecim Bartschius edidit; sex Parisiensis quoque habet etiam has eodem modo diversas, quem iam uberrime tractavimus.

Qua de causa opus non videtur, me longius morari in hac re perscrutanda nec minus sufficiet, si breviter dicam, quae e reliquis codicibus carminum magistralium unusquisque Marnerianorum continet, praesertim cum minima eorum pars typis expressa sit. Si quis totam hanc farraginem perscrutabitur, haud dubie nihil aliud cognoscere poterit,

ac quod modo diximus: inter haec carmina permulta esse quae ita sicut tradantur nullo modo a Marnero profecta esse possint; quae autem horum manuscriptornm condicio sit, vix ea quae nunc prorsus adhorreant a Marneri genere dicendi et arte metrica, abiudicari a poeta posse, cum videamus, quomodo alia carmina haud dubie genuina ab his libris tradantur.

Praestat Wiltensis Marneriana a p. 76—146, strophas viginti et duas in rythmo longo compositas, eundem stropharum rythmum aulicum secutas; — accedunt duae eiusdem rythmi in pg. 16 a, cui suprascripsit auctor: „tria carmina longi rythmi"; sed prima eorum sola hoc schema sequitur, altera et tertia aulicum ostendunt. Ex hoc codicis Wiltensis thesauro unam edidit Bartschius (CXCIII. 1); tres iam cognovimus ex Heidelbergensi (apud Hagenium XV. 1. 2. 3.), unam ex Parisiensi (XIV. 6.); tres praeterea Colmarensis servavit.

Vaticinationum Sibyllae, quarum quattuor e Lipsiensi cognovimus, Colmarensis duodeviginti exhibet, interrogationes illas et responsa amplius exsecutas. Ceteras Wiltensi soli debemus.

Sequitur Monacensis (cod. germ. 351.), qui habet carmina longi rythmi in paginis 207. a, 208. b, 211. a, 260. b, 274. b viginti et unum, e quibus minorem partem (quae leguntur in pg. 208. b et 274. b) in Colmarensi quoque invenimus; ceterae alias non extant.

Ex Heidelbergensibus codicibus qui carmina magistralia complectuntur afferendi sunt No. 392 et 680, de quibus Holtzmann egit Germ. 3. 380 sq.; prior longum rythmum praestat in duodetriginta carminibus in pg. 29 a, 34 a, 52 b, 90 a, 101 a, 111 b, aureum qui dicitur in pg. 14 a, 58 b, 62 b. Praeterea in pagina 133 b suprascriptum extat: „Marners lange ton", sed desunt carmina cum ultimis codicis paginis. (Hdlbg. 680.) duodecim poemata habet longi rythmi in pg. 12 b et 33 b. In p. 51 a verba habet: „im ungelarte fremden donn", quibus subscripsit alter scriba: „ez stât in des Marners wildem ton". Typis expressum hoc carmen extat Germ. 3. 325; sed Marneri hoc quoque esse non videtur.

VITA.

Geboren zu Mühlberg a. d. Elbe am 2. Juni 1847, evang. Confession, wurde ich auf der Königl. Landesschule Pforte für die Universität vorbereitet. Darauf studirte ich zunächst zu Leipzig Philologie und widmete mich hier neben den Vorlesungen der Herren Professoren Curtius, Ritschl und Schöne besonders dem Studium des Sanscrit unter Leitung des Herrn Prof. Brockhaus. Michaeli 1867 bezog ich die Universität Berlin und hörte hier Vorlesungen über classische Philologie bei den Herren Kirchhoff, Haupt und Hübner, über Geschichte bei Mommsen und Droysen, über Philosophie bei Trendelenburg und Harms. Der Sommer 1870 unterbrach meine Studien, indem ich als Freiwilliger beim Kaiser-Alexander-Regiment an dem Feldzuge gegen Frankreich Theil nahm. Nach der Rückkehr bereitete ich mich zum philologischen Staatsexamen vor, absolvirte dasselbe vor der Königl. Prüfungs-Commission zu Berlin, trat darauf als „candidatus probandus" beim Friedrich-Wilhelms-Gymnasium in Berlin ein und wurde Michaeli 1873 dauernd dort angestellt.